14066/B.

A xxxiiio

4.
46734

MERITIS INTRARE LICEBIT.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS. DE MEDICINA AUTOMATICA.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. D. PETRI BURMANNI, J. U. D.

HISTORIARUM, GRÆCÆ LINGUÆ, ELOQUENTIÆ ET HISTORIÆ FOEDERATI BELGII PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS *Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubmittit

CORNELIUS VAN BLEISWYK, *Delphenſis.*

Ad diem 7. Septembris 1719. *hora locoque ſolitis.*



WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

D. JOANNI VAN BLEISWYK,

JURISCONSULTO, CORAM HOLLANDIÆ CURIA CAUSARUM PATRONO.

D. ABRAHAMO VAN BLEISWYK,

MED. DOCTORI, HUJUSQUE APUD DELPHENSES PRACTICO, ANATOMIÆ AC CHIRURGIÆ PRÆLECTORI, EJUSDEMQUE URBIS SENATORI.

D. RYERO VAN BLEISWYK,

JURISCONSULTO, CORAM HOLLANDIÆ CURIA CAUSARUM PATRONO, PAGI VOORBURGENSIS PRÆTORI.

FRATRIBUS DILECTISSIMIS, CARISSIMIS, IN PERPETUUM FRATERNO AMORE COLENDIS.

UT ET

NOBILISSIMO, AMPLISSIMOQUE

VIRO

D. JOANNI SLICHER,

JURISCONSULTO, INCLYTÆ REIPUB. DELPHENS. SENATORI, AC JAM SECUNDA VICE CONSULI. PRÆPOTENT. D. D. ORDINUM HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ RERUM ECCLESIASTICARUM QUÆSTORI GENERALI FIDELISSIMO, PER AFFINITATEM PATRUO, CURATORI UNICO, INTEGERRIMO, FIDELISSIMOQUE, PARENTIS LOCO IN ÆTERNUM OMNI HONORE ET OBSEQUIO COLENDO, OBSERVANDO.

NEC NON

CELEBERRIMIS, CLARISSIMIS, ET CONSUMMATÆ ERUDITIONIS GLORIA CONSPICUIS

VIRIS

D. BERNARDO ALBINO,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS IN BORUSSIA CONSILIARIO AULICO ET ARCHIATRO, MEDICINÆ THEORETICÆ PRACTICÆ IN HAC ALMA ACADEMIA PROFESSORI ORDINARIO, PRÆCEPTORI DIGNISSIMO.

D. HERMANNO BOERHAVE,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, IN ACADEMIA LUGD. BAT. MEDICINÆ, BOTANICES ET CHEMIÆ PROFESSORI FAMIGERATISSIMO, PRÆCEPTORI NUNQUAM SATIS LAUDANDO, PROMOTORI HONORANDO.

PRÆCEPTORIBUS SUIS DE SE, SUISQUE STUDIIS OPTIME MERITIS, AD EXTREMUM HALITUM USQUE SUMMO HONORE COLENDIS.

Hanc Diſſert.

D. D. D.

CORNELIUS VAN BLEISWYK.

PROOEMIUM.

Poſtquam animum ad Medicinam appuli, peculiari quadam voluptate ſemper attendere lubuit ad phænomena, quæ in ægris, tum in publicis, tum in privatis grabatis decumbentibus viſui ſeſe obtulerunt; inter hæc potiſſimum continue conſpiciebantur motus ſpontanei, qui ægros impellebant ad quoddam genus remedii aſſumendum, quod ipſis ex improviſo in mentem non tantum incidebat, ſed cujus perceptio perpetuo præſens ſiſtebatur, & quidem tam vivide ut ſibi ipſis non potuerint non perſuadere, illud appetitum eſſe & unicum & optimum, quod debellandæ ægritudini conduceret, remedium. Sæpius autem videbamus, quod eo ſi potiri contigerit, feliciſſime morbi profligebantur, qui nullis aliis remediis, ex quacunque indicatione propinatis,

 au-

auſcultarunt: id cum obſervaveram, & cum ejuſcemodi motibus in brutis conſpicuis comparabam, automati noſtri ſapientes leges admiratus fui ſæpe, quarum cognitio Medicis ſumme neceſſaria inſuper apparuit: Sed ſimul gnarus ad hos motus non ſemper requiſitam applicari a Medicis attentionem, tum quod ſcio, nunquam de iiſdem ex profeſſo actum ſit, in animum induxi hos delineare, & ex fontibus originem deducere, quantum ingenii tenuitas, & ſtudiorum Academicorum acquiſita cognitio mihi in hæc Medicinæ penetralia ingredi permiſerunt; retinebar tamen in initio haud parum, ne hanc materiam ventilarem, quippe experiebar quam grave humeris ſuſceperam onus, quod veteranum potius practicum quam me juvenem deceret; tum deſuper quod plurimi dantur noſtris temporibus, qui ſoli ſibi ſapere, ſuamque ſcientiam omnibus aliis non tantum præferre, ſed ſolam utilem generi humano deprædicant, proſcribentes imprimis medicos, quorum pharmaca nullarum virium & uſus in ægritudinibus exclamant, ſoli naturæ attribuentes quodcunque ſolatium decumbens ſentiſcat; hi enim ex tituli hujus diſputationis adſpectu, id quod toties propugnaverunt, demonſtratum credent, & quidem ab eo, qui Medicinam edoctus, eam profiteri aggreditur,

dum-

dumque invenient unumquodque animal ſibi medicum hic ſtatui, quid ergo amplius Medicis opus palam exclamabunt, & ſummo jure Catonem olim e Roma in exilium proſcripſiſſe Medicos tuebuntur; Hos vero, ne tam ſerio triumphent, rogatos velim, ut, præjudiciis ſepoſitis, attento animo, pervolvant quænam his motibus adſcribamus, & quo uſque iis obtemperandum, quando iterum prudens Medicus eoſdem refugiet, ut majora avertat mala, & denique quomodo veri motus automatici ab imaginariis diſtingui poſſint, quæ cuncta ubi intellexerint, ſperabo me hos reddidiſſe artis Medicæ tam ſinceros fautores, quam hucuſque antea ignari irriſores exſtiterunt: interim B. L. conatus noſtros æqui bonique conſule, iiſque favere perge.

DISPU-

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE MEDICINA AUTOMATICA.

DEFINITIONES.

§. 1. *Medicina automatica eſt exercitatio quorundam motuum in Corpore animali, vivo, ægro, ex ipſo Corpore abſque conſcia mente oriundorum, ad ſanitatem amiſſam reſtituendam Corpus impellentium.*

Non itaque per Medicinam hic intelligimus artem humanam, quæ ex obſervatione induſtrioſa morborum, & adverſus eos remediorum, aut ratiocinio ſubtili, indicationem & auxilia ſuggerente, originem duxit, ut Corpus animale ægrotum redigeret in ſalubrem ſtatum, eumve præſentem conſervaret; verum aliam hic ſpectamus Medicinam, ſolius animalis machinæ partum, connatas cum Corpore animali leges tantum agnoſcentem autores, quæ abſque animo meditante, conſcio, vel dirigente peragitur, ac ubi ſola Corporea machina ex ſtatu naturali in ſibi alienum & inimicum deducta, motus excitat ex ſe, per quos ſui Conſervationem, & amiſſæ ſanitatis recuperationem per optimas intendit vias.

Dum vero hos motus ſolum excitat Corpus, veluti Horologium, inſtrumentum automaticum, ſuas movet rotas, tympanum, indicem; hinc Medicina, cum tali automato comparata, ex analogia merito vocatur Automatica. Perinde vero erit, ſive in ſequentibus demonſtremus motus ipſos corporeos eſſe medici-

cinam ægritudinis, ſive hos impellere corpus ad ſibi concilianda ea medicamina, quæ ægritudinem tollunt, modo enim non ex prægreſſa cognitione vel conſcientia fuerint hi motus oborti, qui corpus ad alia determinant, eruntque tum vere ex corpore, ut automato, producti.

§.2. *Motus in corpore animali, ſenſibus obſervabilis, qui abſque conſcio peragitur animo, atque ex ſola oritur machina quatenus animali, vocatur automaticus.*

Quatenus animali: neceſſario ad evitandam confuſionem hujus motus, cum aliis motibus, addendum duxi, quoniam omne quod corpus eſt, per legem gravitatis innatam, fertur motu ſpontaneo ad centrum ſuæ gravitatis; veluti terreſtria ad terræ centrum, omnes planetæ ſecundarii ad centrum gravitatis quoddam cum planeta primario, omneſque planetæ ad centrum aliquod gravitatis in ſole feruntur; ſunt vero hi motus automatici generales, omnibus corporibus communes, quos hic non inquirere lubebit; verum eos particulares tantum, quos obſervamus in corpore animali, quique diſtincti ſunt a generalibus, quales ſunt v. gr. inteſtinorum motus periſtalticus, podagrici determinatio ad vinum Rhenanum, nimium repleti corporis vomitus: hos enim æque oriri ex corpore animali ſolo, abſque ulla animi actione vel determinatione prima, in ſequentibus demonſtrabo, quam gravitatem eſſe motum, in omnibus corporibus automaticum, aſſumitur.

LEMMA.

Motus vero hi, & Medicina automatica, fiunt in corpore animali vivo, & ægro.

Hoc commune ſcilicet habet cum vulgari medicina, quod ſupponat corpus animale vivum, in quo fluidorum vitalium circulationes fiunt per ſua vaſa, aëriſque reciprocationes in pulmonibus; nullum enim remedium hactenus innotuit, quod agat ut remedium in corpus animale mortuum, quodve circuitum

 flui-

fluidorum per ſua vaſa, & iterum vaſorum actionem in illa excitat; infunde enim cadaveri aquoſa, balſamica, ſpirituoſa, non reſuſcitabitur vita, nulla fit eorum in cadavere actio: impone corroſiva, uti lapidem infernalem, ruptorium commune ſiccum, nihil agunt; fateor ignis & corroſiva fluida quædam haud otioſa manent, dum corpori applicantur, non vero hæc præſtant quod a Medicamento expectatur opus & auxilium, tantum deſtruunt cuncta, eodem modo ac dum aliis inanimatis applicantur corporibus: ſicque res quoque comparata eſt cum Medicina automatica; hæc enim dum tantum oritur ex motibus corporeis, ponit vitam in corpore adhuc ſuperſtitem, ſanguinis, ſpirituum, aërisque motus per ſua vaſa, quæ cuncta ea ſunt adminicula, per quæ omnes motus in corpore animali tantum fiunt; omnes quoque hi automatici æque requirunt fluidorum, muſculorumve motus, quam motus vitales, voluntarii, aut naturales: vitâ igitur exſtinctâ, uti motus ceſſant vitales, ſic quoque automatici, neque tum alterutri Medicinæ ulla datur via. Et quid opus eſt pluribus demonſtrationibus, nulla enim medicina exerceri poteſt abſente medico, vel medio, aut qui horum munere fungi poſſunt, atqui vita animalis hic ſolus medicus eſt, motus animalis unicum medicamen, ergo in mortuo corpore, ubi nec vita nec motus adſunt, hæc Medicina, hique motus non obtinent, nec fieri poſſunt.

Dum quoque hanc Medicinam automaticam in corpore animali exerceri aſſerui, generaliſſime eam conſidero quatenus in omnibus animalibus fuit obſervata; qui enim motus automatici medicantes obtinent in humano corpore, iidem in animalibus terreſtribus, aquatilibus, & volatilibus obtinent; unde tuto concludere licebit, leges eſſe generales, in omnibus corporibus animalibus eaſdem, per quas motus excitantur in corpore ipſo ad ſuæ vitæ conſervationem.

CA-

Caput Primum.

DE

Motibus Naturalibus & Medicantibus automaticis.

§. 1. *Motus automatici fiunt in omni corpore animali, quando in ſtatu ſano ponitur, quos hinc vocamus Naturales.*

Dum in *Def.* 2. vocavimus omnem motum automaticum, qui in animali fit abſque conſcientia, & ex legibus connatis cum corpore animali ſequitur, apparet contemplanti, inter omnes motus, qui in animali fiunt, dari plures, qui ſemper adſunt, quorumque præſentia tantam involvit neceſſitatem, ut corpus ſi vivum manebit, iis per tempuſculum deſtitui nequeat, qui tamen, dum adſunt in vita, ignorantur ab animo; non per ſcientiam, quæ ope experientiæ & omnium ſenſationum fuit comparata, ſed per ſenſationem internam: Tales vero motus ſolent a medicis vocari Vitales; hos enim quis cognoviſſet, niſi induſtrioſa obſervatio anatomica detexiſſet; quales v. gr. ſunt actiones muſculoſæ Cordis, Sanguinem recipientis & expellentis per totum Corpus; actio ſecretoria Cerebelli, actio pulmonis, ſanguiniſque & ſpirituum per organa illa, arterias, venas, & nervos, circuitus; hos igitur non percipi ſenſatione interna animi, demonſtratur evidenter ex horum motuum ignoratione ante Harveji vel Serveti tempora; hi vero fiunt ex corporis animalis ſtructura, juxta leges eas, quibuscum illud a Creatore fuit factum: ſed & alii præterea ſunt motus automatici, qui non tam immediate cauſa vitæ exiſtunt, licet ad eam, ut & ad ſanitatem continuandam, requirantur, qui a Medicis Naturales motus dicuntur, qui illi ſunt, ut aſſumta alimenta ſic mutent, ut in naturæ noſtræ partem abeant; quorum quoque

actionem in corpore fieri, non ſentiſcit animus, ſic vero fiunt in ventriculo & in Inteſtinis aſſumtorum attritus, digeſtiones, eliquationes, aſſimilationes, eorum ex ventriculo expulſio in Inteſtina, in quibus motus periſtalticus perpetuus, & â quibus in contenta alimenta perficitur ulterior elaboratio, concoctio, dein provolitio per totam inteſtinalem fiſtulam, eorum denique applicatio ad oſcula lacteorum, abſorptus ab iis, præparatorum ſic in Lacteis & ductu Chylifero ulterior dilutio, imminutio, aſſimilatio major ad fluida animalia; tum in ſubclavia vena fit horum affuſio & permiſtio cum ſanguine, deductio ad Cor, circumvectio inde per omnes arterias, adeoque per omnia puncta corporis, appoſitio nutrimenti ad loca nonnulla; & dein ſecretio omnis generis liquidi in glandulis variis, in diverſis corporis locis diſpoſitis. De quibus optime diſſerentem videſis Sapientiſſimum H. BOERHAVE in inſtitutionibus Medicis; præter hos alii quoque fiunt in organis ſenſoriis motus ejuſmodi, nam mutatio fit figuræ lentis Cryſtallinæ, vel ejus adductio & remotio verſus tunicam corneam, in approximatione, vel remotione objectorum ab oculo, quæ videmus; item nictatio continua palpebrarum, ut abluantur ex oculo ſordes, & cornea humectetur ut pelluceſcat. 2. Fit tenſio vel relaxatio membranæ tympani per muſculos malleum moventes, quando gravior vel acutior ſoni tonus eſt, quem audire volumus. 3. Fit exſertio papillarum lingualium ex ſuis corniculis, cum linguæ corpora ſapida imponuntur, vel prope ipſam retinentur. 4. Nervoſarum papillarum ſimilis exſertio fit ad apices digitorum, quando accurate corpora, quæ tangimus, explorare volumus. 5. Et major minorve ſecretio muci fit ex Membrana Schneyderiana in naribus, prout res volatilis, quæ inſpiratione applicatur ad nervorum olfactoriorum extrema, magis vel minus odora, ſeu debilius vel fortius in eos agit. Et plures alii obſervantur ejuſcemodi motus in corpore animali ſano, quos perfecte ignoramus dum fiunt; hos autem fuſius perſequi non fert animus; ſcopo hujus diſſertationis repugnante, ſed eos tantum, qui in Corpore animali morboſo obſervantur, quique Medicinam ſecum ferunt optimam, pro conditione partis affectæ; hos vero vocabimus *Motus Medicantes*, quoniam ſunt, quaſi indicantes Remedium

&

& ſimul remedium ipſum. Sunt hi vero duplices, & fiunt in corpore ipſo ſolo, quamvis alia Medicamina externa non adſint, vel fiunt cum externa alia corpus impellunt ad ea applicanda.

§. 2. *Motus automatici Medicantes in corporibus affectis morboſe fiunt ex conditione corporum præſenti, abſque aliorum Medicantium præſentia.*

Locus nunc eſt ut recitemus motus, quos automaticos in corpore animali vocamus, quique in animali ſolo morboſe conſtituto conſpiciuntur, ubi nempe non fit ſpontaneus motus ad quædam alia corpora præſentia, quæ nondum ſunt in corpore animali, ut in ſequenti §. 3. Sed ubi animale corpus ut ſolum ſic in eo loco poſitum, & morboſe affectum, conſideratur; verum nunc per omne morborum genus currendum eſſet, & quicquid in ſingulis unquam a Medicis fuit annotatum, quod automaticum, eſſet hic referendum; excreſceret vero tum hoc doctrinæ ſpecimen in volumen majus, quod dum in hac diſſertatione non exigitur, pauca tantum in nonnullis morbis exempla enarrabo, traditurus ſimul brevem explicationem, quomodo peragantur, & a quibus corporis partibus.

1. Itaque ubi obſtructi fuerunt in corpore animali quorundam vaſorum fines a fluido craſſiori, quam quod eoſdem pertranare poteſt, motus oriuntur in omni animali fere iidem, qui inſerviunt hærenti ſtagnantique fluido propellendo, parti conſervandæ a majori læſione, vel & ſanitati reſtituendæ: ſit enim inflammata oculi retina, quæ tenerrimæ eſt ſtructuræ, conſtans innumera nervoſorum tenuiſſimorum filorum copia, qui inter ſe invicem mirabilibus, una cum vaſis ſanguineis, plexibus texuntur, membranamque quaſi efformant, ex cujus ſuperficie anteriori prominent horum nervulorum ab invicem nunc ſeparati fines, qui ubi per cranium exibant, in uno faſciculo erant collecti, nervus opticus vocati: hi tam teneri ſunt, ut ad motus lucis minimos a corporibus lucidis & illuminatis diſperſæ, moveri poſſint; in hac retina vaſa inflammantur, unde elongantur, diſtenduntur, quare hæc concretos nervulos ſimul diſtendunt, elongant, teneorioreſque reddunt, quæ ubi in oculo

lo eveniunt, qui apertus luci opponatur, tum lux incidens validius teneriores nunc afficit nervos quam antea, & periculum deſtructionis ſimul adfert, ſed ut hoc avertat machina ocularis, illico motum excitat contractorium in pupilla, ut hæc ſeſe valide ſuis orbicularibus muſculoſis fibris coarctet, impediatque ne tanta radiorum lucentium copia ingrediatur oculum, quæ retinam concutiendo lædat.

Motus hic contractorius pupillæ qualis eſt naturæ? an ex animo oritur cogitante & dolente, an vero ex ipſo corpore? ſi prius ſit verum, immerito talem accerſerem motum ad automaticos: ſi poſterius verum ſit, dari motus automaticos evictum erit: quare lubeat experiri, an animus ſua voluntate poſſit coarctare pupillam, an conſcius ſit ſe hoc præſtare, veluti alios motus muſculares digitorum, manus, brachii, pedumve, obſervat ſuæ obedientes voluntati? Ergo experiatur aliquis in ſtatu ſano vel morboſo oculi, an poſſit pupillam imminuere, dum ad hoc cogitat, dumque decrementum illius omni modo per voluntatem ſuam efficere cupit, & ante ſpeculum exiſtens ſedulo obſervet, vel alius, qui attendat accurate, ante ipſum ponatur, tum experimento facto inveniet, quod utcunque hoc tentetur, qualis etiam nixus adhibeatur animi ad pupillam contrahendam, nulla fiat ejus coarctatio vel imminutio; Ergo animi voluntas nullum imperium hic habet in muſculos orbiculares vel dilatatorios pupillæ, ergo contractionis cauſa dici non poteſt; verum retina ubi fuit inflammata, vel nimis fortis & copioſa lux adſit, illico pupilla decreſcit amplitudine, quare iſtud decrementum non agnoſcit voluntatem, ſed aliud quid pro cauſa, quod tamen in corpore exiſtit; ut vero cognoſcamus quam ob rem hæc pupillæ contractio fiat, animadvertendum erit, arterias, quæ inter retinæ nervoſa extrema feruntur, ex eodem geminato ſurculo duxiſſe originem, quam quæ tunicis oculi, & proin uveæ & iridi proſpiciunt, quare dum non ſolummodo ſolet retina inflammari, ſed ſimul hinc inde oculum conſtituentes tunicæ, nervi qui ſcleroticam & choroidem coronant, hancque poſteriorem perforant, & iridem conſtituunt. *Vid. Ruyſchii Epiſtol.* quoque diſtenduntur, teneriores redduntur, & proin à minimo excitato motu validius agitantur: dumque lex obtinet

hæc

hæc in corpore animali generalis, ut ubi nervus extendatur validius, illico oriatur ſpaſmus, vel convulſio partis: hinc pariter ubi interiora oculi per inflammationem fuerint nimis diſtenta, & a Luce partes hæ agitantur, nunc per illum motum validius extenduntur, nervi titillantur, in periculum incurrunt, hinc ſpaſmus fit partium, quæ ſe contrahere poſſunt, adeoque muſculus orbicularis iridis pupillam coarctat ſeſe contrahendo, & ſic efficitur motus ille automaticus contractorius pupillæ.

2. Eodem modo aliquid ſimile obſervare licet in ophthalmiis, ubi cornea ſimul cum albuginea tunica eſt inflammata; lux quum ante oculos ponitur hoc in caſu, palpebræ ſeſe claudunt illico; ſed animus velit eas aperire nixu etiam adhibito, vix fit apertura, & tantum brevi tempore, ſed ſtatim priſtinus fit collapſus, vel nictatio continua, cui, velis nolis, obſequi cogeris, corpus enim requirit hic humectationem & fotum perpetuum, ut inflammans reſolvatur; an hæc itaque invita contractio palpebrarum animo volenti adſcribenda, an vero corpori motum excitanti contra animi ſententiam? poſterius liquere evidentius credo, quam ut huic rei fuſius demonſtrandæ inhærerem.

Qui vero ſtructuram & connexionem harum partium, id eſt palpebræ interiorem membranam & corneam cum albuginea parte cognovit, & ea, quæ modo in exemplo primo explicuimus, ſecum perpendit, extemplo hic videbit, quam ob rem neceſſario hic evenit palpebrarum contractio, quando extus apparens albuginea tunica eſt inflammata; dum enim hæ partes ſeſe continuo tangunt immediate, una non inflammatur, quin altera quoque in conſenſum trahatur, ut obſervamus in omnibus aliis corporis inflammationibus fieri, & imprimis id in tunica oculi albuginea, & interna membrana palpebræ, conſtantis eſt veritatis; interior vero hæc membrana plurimis & nude jacentibus nervis eſt inſtructa, unde tam ſenſilis eſt, ut unicuique ſatis conſtat, quare hi nervi nunc plus diſtenti & teneriores, ſimulac movetur palpebra, quoque moventur, ſed nunc validius motu concutiuntur, quare ſpaſmodice partem contrahunt, & palpebram ope orbicularis muſculi claudunt, id vero fit ex ſolo motu palpebræ abſque illapſu lucis, quod ſic verum eſſe docemur continuè, quando aliquid peregrinum acre inciderit

derit in oculum, quod vellicat hanc palpebræ tunicam, unde inviti ſemper cogimur claudere oculum, quia convulſiva hic fit contractio: ſimilis vero motus agitatio in eandem evenit inflammatam ab ipſa luce. Si enim clauſæ ſint palpebræ & incipiant aperiri, ac lucem admittere, tum conſtat ex legibus opticis, omnem Lucem incidentem in iridem oculi, exire rurſus ex oculo, & modo tranſire Lucis partem, quæ recto in pupillam incidit; quare interior palpebra, quæ Lucem non accipere poteſt a Lucente externo directe, Lucem tamen accipit reflexam ab iride, velut a ſpeculo; hæc itaque incidit in partem interiorem palpebræ, & imprimis ad limbos, ubi muſculus orbicularis jacet, qui eoſdem nervos admittit, quare ab hac Luce hi nervi agitantur, nunc vero teneriores facti agitationem abſque periculo non ferunt, hinc contrahunt convulſive partem, & quidem præcipue orbicularem muſculum, unde clauſura oculi; accedit 3. ubi palpebra eſt eo uſque elevata, ut iridem non amplius tegat, tum Lux incidit in albugineam tunicam inflammatam, nervos diſtentos habentes, ſed qui ex eadem origine ſunt producti cum nervis palpebrarum, quare prioribus convulſive agitatis, poſteriores in conſenſum trahuntur, & fit eadem, modo expoſita, palpebrarum contractio.

Deſtillatio vero lacrymarum major eſt in hac inflammatione ob continuum ſtimulum, quo emunguntur glandulæ, allicitur plus humoris, & ſecretio augetur.

3. Sed cum in Capite verſamur, deſcendamus paulum, atque proximum vultus ornamentum intueamur, naſum nempe, eumque inflammatum in interna membrana a Schneidero optime deſcripta, obortas invenimus perpetuo ſternutationes, quas vero inter motus automaticos recenſendas aſſerimus, dum quoque invita fiunt voluntate, imo fere nunquam per animi imperium excitari poſſunt; an autem ſternutatio per validum partium harum concuſſum, ac vaſorum contractionem ingentem, inflammans fluidum expellere conatur, & ſic reſtituere ſanitatem, eſt Thema Capitis Secundi.

Hic iterum habemus inflammationem membranæ nervoſiſſimæ, adeoque ut in ſuperioribus caſibus, nervorum elongationem, diſtractionem, teneritudinem, rupturæ periculum; aeris vero con-

continuus appulſus a reſpiratione, eſt ſtimulus perpetuus, nervos conquaſſans & magis diſtendens, qui hinc in convulſiones adiguntur, una cum annexis partibus, & ſternutationem producunt, quæ quomodo fiat, & ob qualem unionem nervorum variorum cum partibus reſpirationi inſervientibus, optime explicata conſpicitur in aureis Inſtitutionibus Medic. Eruditiſſimi Viri H. BOERHAVE in Capite de olfactu §. 498.

4. Quicunque etiam ægrum ſtrangulatoria angina correptum vidit, in ipſo plurimos obſervare potuit ſimiles motus a corpore oriundos, nam anhelatio ſumma ex frequentiſſimis reſpirationibus compoſita, erectaque corporis ſtatura, linguæ ex ore protruſio, hiatus oris, totidem ſunt motus, quos, annuente Hippocrate, natura invenit ad ſui conſervationem; quos non voluntas animi, non judicium, non ratiocinium ſibi vendicant, verum ex legibus innatis corpori animali a Creatore oriundos, eſt quam manifeſtiſſimum; dum his omnibus corporis ſitubus aeris introitus in pulmones adjuvatur, cui via cæteroquin præcluderetur: anhelatio autem hæc oritur ex impedito ſanguinis transfluxu per pulmones; quod evenit, quia larynge inflammata, muſculiſque ejus intumeſcentibus & contractis anguſtatâ, aeris introitus & egreſſus ex pulmonibus liber non eſt; hinc, in inſpiratione negata aeris ſufficienti copia, veſiculæ Malpigianæ ab invicem non diſtenduntur ſatis, ut vaſa retiformia ſanguinem in ſufficienti copia tranſmittant, quare minor ſanguinis quantitas in ſingulis inſpirationibus ad cor ſiniſtrum pervenit, minor proin ex illo expulſio in arterias, hinc parcior Spirituum ſecretio ex appulſo ſanguine ad Cerebellum, & proin paucior Spirituum determinatio in nervos reſpirationi dicatos; hinc illico ac inſpiratio facta eſt per contractionem muſculorum reſpiratoriorum, cauſæ antagoniſtæ (quæ eſt cartilaginum coſtalium elaſticitas,) vis prædominatur, quare ſubitaneus pulmonum collapſus, & expulſus aeris ex iiſdem: hinc tempus non conceditur vaſis pulmonalibus, ut ſe a contento ſanguine liberent, quare accumulatur, & extemplo urget pulmones, eorumque vaſa a parte cordis dextri, hinc illico renaſcitur cauſa, quæ Thoracem dilatat, ut pulmo explicari poſſit, & a ſanguine liberari, quod cum non ſatis fieri poſſit, deficiente aere explicante, & illico

collapſus rurſus fiat, fit reſpiratio frequens, & anheloſa, dum nunc nervi pulmonis ab accumulato ſanguine diſtenduntur, irritantur, quicunque connexi ſunt cum pari vago, violentius agitant partes, per quas diſtribuuntur, hinc tantus corporis motus in anhelantibus obſervatur.

5. Verum alia percurramus viſcera, dumque perinde ſit quodnam contemplemur; inflammatum eligamus Hepar, in qua ægritudine anxietas ſemper obſervatur ſumma, quæ animal impellit, ut exſerat, moveatque manus & pedes, ſeſeque contorqueat in varias figuras; ut ſcil. impactum inflammans libertatem tranſeundi per vaſa nanciſcatur, natura hic compreſſiones, attritus partium, impulſiones fluidorum a tergo excitat, imo cum tanta violentia, ut hi motus invitis ægris etiam peragantur, neque ceſſent durante anxietate: Fateor hi motus per voluntatem quoque fieri poſſunt; verum hic non ita fiunt, dum ægri hi ſæpe cogantur in hos motus, obſtante licet animo.

Et omnes hos motus ex cognita viſceris & corporis conditione fieri evidens eſt, dum hæc anxietas oritur a pondere inflammati Hepatis, quia nunc plus ſanguinis accumulavit, durius factum eſt, & intumuit, hinc moto diaphragmati non tam facile cedit, hinc reſpiratio impeditur; verum diaphragma vicinum ſimul ob calorem & vaſorum quorundam communicationem inflammatur quoque; ſanguis dein omnis, qui per viſcera chylopœa fertur, impeditur effluere vel accumulatur, Vena cava pondere hepatis incumbentis comprimitur; hinc ſtagnatio ſanguinis in artubus inferioribus, hinc inæqualis ſanguinis fit affluxus ad eaſdem, quare motus violenti convulſivi oriuntur, unde harum partium extenſio, uti & a priori cauſa, nempe reſpiratione difficiliori facta, inæqualis affluxus fit ſanguinis & ſpirituum ad artus ſuperiores, quare horum extenſiones & motus memorati contingunt.

6. Et nonne in Peripneumoniæ quacunque ſpecie, a qualibet cauſa producta: ſive jam morboſa, vel incipiens morbi conditio fuerit, uti tantum eſt in affectibus animi, ab aſſumtis viſcidis &c.; obſervantur continua ſuſpiria, quæ ab ægris non adhæc cogitantibus perficiuntur; hi non ſunt tam facile tranſeundi motus, ac ſi nihil portenderent; fiunt autem continuo &

ſum-

ſummam præſtant opem in hoc morbo, ſed ignotam ægris plurimis; imo quid ſolatii animus a ſuſpirio ſperabit, ubi profunda modo fit aeris inſpiratio cum ſubitanea per nares exſpiratione; non hic percipit illico levamen, igitur non invenit perceptionem commodioris ſtatus; neque eſt remedium inventum ſagacitate Medici, quippe fit in animalibus omnibus, quæ nullam capere potuerunt doctrinam, an igitur non eſt naturæ opus? Profecto mecum conſentiet unuſquiſque qui effectus a ſuſpiriis factos vidit, & poſtea in Capite 2. examinaverit, quantum emolumenti ab his naturæ conaminibus expectandum. Quare ſuſpiria eveniant in omnibus, quibus pulmo incipit obſtrui, patebit ſi obſervamus, quod dum vaſa in pulmone hinc inde ſanguinem non tranſmittant, eum colligi inter venarum pulmonalium initia & Cor dextrum, adeoque hæc ambo, Cor & pulmonem extendi, & proin nervos horum titillari, unde his motis, omnes qui ex eodem trunco oriuntur, quales ſunt intercoſtales, & ex pari vago ſimul moveri; quare his agitantibus ſuas partes, fit pectoris dilatatio magna, & proin profunda inſpiratio, quæ dum fit, ſanguini ſtagnanti ſufficiens occaſio naſcitur, ut tranſeat ex Corde dextro in ſiniſtrum, & omnia iterum ad æquilibrium redigantur, quam ob rem ſimplici vice talis tantum inſpiratio fit, non iterata, niſi aliquot tempus, & plures reſpirationes intercucurrerint.

Neque cuncta hæc tantum in humano obſervantur corpore, ſed dum eaſdem ægritudines perſcrutamur in brutis animalibus, eoſdem omnino motus excitatos videmus: in canibus enim ſæpiſſime obſervare licet lambitus perpetuos oculorum & proprie ſalivâ matutinâ, dum Ophtalmia laborant, & glandula innominata non ſufficiens liquidum ſecernit, quod humectat: ab his animalibus Medicina hæc in eodem morbo in uſum humanum fuit tranſlata, dum Medici inceperunt naturæ conatus in uno alterove animali magis conſpicuos, applicare morbis in corpore humano ſimilibus, quod quanto cum ſucceſſu fiat, qui omnia accurate perponderat, tantum videt: ſufficiant vero hæc exempla in inflammatoriis morbis, ne limites diſputationis tranſiliam, ſi omnes in qualibet parte corporis examinarem.

7. Tranſgrediamur vero ad motus convulſivos, & uberri-

 mam

mam pariter habebimus materiam; itaque aſſumantur ore quæcunque acria corroſiva, aut cibus potuſve nimiâ ingeratur copiâ; corpus convulſione excitata ſeſe a nimio acri vel oneroſo pondere liberare conabitur, utcunque animus contranitatur vomitui: aſſumſerit enim quis infortunio venenum aliquod corroſivum, ut Mercurium ſublimatum, Arſenicum, Crocum veneris, Antimonium, Cuprum, vel horum plurimas præparationes, aut Aſari folia, fumum Tabaci & ſimilia acria, ignoretque quid aſſumſerit, nonne poſt aliquantulum temporis in eo oriuntur nauſeæ & vomitus enormes, quorum ope natura molitur expellere, quod intus jam latet venenum: unde vero hi in corpore motus? an mens hos excitat? profecto dum illa ignorat, quid aſſumſit, hæc contra voluntatem eveniunt, imo quicquid contranitatur, nihil valet; fortius quippe agit corpus, ac magis dominatur, quum quod nocet expellit, ſeſeque ſic conſervat ab ulteriori deſtructione. Et quis quoque non fuit expertus, quod qui nimium ingurgitarunt potuum ſpirituoſorum vel ciborum, eoſdem poſtea evomere coacti fuerint, quantopere hos retinuiſſe vellent: imo hæc omnia eadem ſunt in omnibus animalibus, quare ſic evidens eſt, magiſque confirmatur, dari motus automaticos ex corpore ſolo oriundos, qui ſummam opem corpori male affecto præſtant: pluribus res hæc convinci poſſet experimentis, quæ levi modo prætercurram pede, ne multitudine nunc tædioſus evadam; Ergo rogare licet, unde ſpaſmi & convulſiones fiant in veſica & inteſtinis, ubi nimium fuerint impleta? nonne ſunt ſtimuli adjuvantes excretionem horum excrementorum, qui nullomodo ex cauſa cogitante, ſed ex eo; quod Creator voluit data tali impletione harum partium etiam dari tales motus, qui corpus impellant, ut, quod abundat, ejiciat: & nonne hinc incomprehenſibilia in partu phœnomena intelliguntur? in illo enim tempore maturo obſervantur in matre tot motus corporei, qui concurrunt ad expellendum fœtum, uti & tanta oſculi uterini apertura, ut hic obſtupeſcat acutiſſimus Philoſophus, & adſcribere cuncta cogatur legibus admirandis, juxta quas infinitè ſapiens Creator corpus fœmininum fabrefecit: non enim voluntas fœminæ ad enitendum hic quid agit, dum non ſequitur partus, animo licet illum exoptante.

Et

Et an non æque miranda eſt ſternutatio, quando nimirum vel animalculum vel aliquod acre corpuſculum una cum aere nares intrat, ibique læderet tenerrimam Schneyderi membranam, natura motum excitat vehementiſſimum, quo aer ex pulmonibus velociſſimè tranſire cogatur, & ſimul abradere omne quod ibi hæret in intermedia via: non cogitatio hærentis ibi corpuſculi hanc exploſionem excitat, plerumque enim ignoratur; nec voluntas cauſa eſt, quippe in plurimis hominibus non producere poteſt ſternutationem, imo fit nobis invitis, quare iterum ad leges corporis concurrendum eſt. Quæ ita ſunt conſtitutæ, ut quando partes quædam inflammantur vel extenduntur, & proinde nervi elongantur, attenuantur, dilacerationis periculum incurrunt, convulſio oriatur in partibus, ſive contractio muſculorum violenta & invita, quæ in omnibus his caſibus evenit, ſed in quibus quoque ob nervorum diſtenſiones, eorum periculum deſtructionis manifeſtum eſt; & non tantum hæc convulſio fit in parte immediate affecta, ſed in iis quoque qui ab iiſdem nervis ſuas nanciſcuntur propagines, hinc ventriculus non modo ſe contrahit ſpaſmodice, ſed quoque muſculi abdominales & diaphragma, quibus cauſis ſimul agentibus, tam violente fit projectio omnium eorum, quæ in ventriculo continentur: quare hinc quoque ratio redditur urinæ expulſionis, partus excluſionis &c.

8. Inter manifeſtiſſimos autem motus automaticos eſt dormientis converſio de latere in latus, ne vaſa compreſſa concreſcant, excitata a natura: ſimiles vero ſunt jactationes corporis perpetuæ in febribus ardentibus, in quibus ſanguis craſſior, facile concreſcens in vaſis habetur & proin in quibus ex decubitu diuturno in eandem partem, illico ſtagnatio fluidorum & concretio eorundem cum vaſis daretur, quod ut prævertat natura, has continuas molitur jactationes, & non tantum tempore vigiliarum, ſed quoque ſomni, in quo perceptio nulla ſenſuum externorum obſervatur; ac proinde ubi non voluntati, aliive animi facultati hi motus attribui poſſunt: Quomodo hoc phænomenon eveniat, evidentiſſime cognoſcetur, ſi modo attendamus omnes fere muſculos totius corporis ita eſſe diſpoſitos, ut ſuos habeant antagoniſtas, quorum viribus æquilibratis, quies partis habetur, quorum æquilibrio

ſublato, ſive additione, vel ſublatione unius, motus conſequitur in altero: ſint nunc muſculi Dorſales, Lumbares, Serrati, Glutæi, & omnes alii, qui requiruntur ad corpus convertendum, utrimque tam a parte dextra corporis, quam a ſiniſtra in æquilibrio poſiti, & tale corpus ſeſe in latus unum ad quietem componat, ergo in initio quietis ſuæ, omnia in hoc corpore in æquilibrio ſunt poſita, & per muſculos omnes fit æquabilis & jugus circumfluxus fluidorum arterioſorum & nervoſorum: verum hoc corpus decumbat aliquamdiu in idem latus, ergo muſculi illius gravitate corporis comprimi incipiunt ſenſim, vaſa anguſtiora redduntur, non tantum fluidi tranſmittunt, tandem penitus comprimuntur, eundem induunt ſtatum, quam dum paralyſi corriperentur, dum nervi æque compreſſi inutiles fiunt ſuis functionibus, quam arteriæ ſuis: Interim vero manet non tantum in oppoſito corporis latere idem influxus ſanguinis & Spirituum qui ante fuerat; verum & ſanguis ex alterius lateris vaſis compreſſis expulſus colligitur in his vaſis liberis, tum quoque Spiritus qui antea in nervos utriuſque lateris influebant, in libere patentes in libero latere influunt; an hic igitur virium muſculoſarum æquilibrium manet? demtæ ſunt ab una parte & additæ ſunt oppoſitæ parti, quare prævaleant neceſſe eſt in libero corporis latere, ergo horum muſculorum functio exercebitur, & quidem omnium, quæ cum ſit contrahere & convertere corpus, patet hinc latus compreſſum converſum iri, ut fiat liberum, & liberum deorſum motum iri, quod per aliquot tempus eaſdem ſubit viciſſitudines, quas primium ſubiit, unde ſic alterna fiet corporis converſio; quas conditiones in vaſis his obtinere vera docet ratio, quare veritati rei ipſius hæc explicatio omnino congruit. Hac via ſi quis omnes examinet morbos, vel quoſcunque corporis animalis ſtatus, inveniet longe plures motus automaticos, quam hic recenſendos credidi.

§. 3. *Ad præſentiam vero aliorum corporum medicantium excitantur nonnunquam hi motus, qui corpus animale determinant, ut cum iis conjungatur.*

Aliam nunc examinabimus motuum automaticorum proprietatem,

tatem, qui ſcilicet tum oriuntur in animali corpore, quando alia corpora externa adſunt, & proinde non fiunt in corpore ſolo, uti in §. 2. ſed dum peregrina quædam alia ſunt, quæ dum aſſumuntur, medentur corpori eodem modo, ac medicamenta quælibet, & veluti motus ipſi in §. 2. medebantur. Quum vero totum hoc negotium exemplis modo probari poſſit, animal ſumamus, quod undique ſudoribus diffluit, cujus corpus exſiccatur & tenuioribus liquidis privatur, tum enim ſitis fit ingens, areſcunt papillæ guſtatoriæ in linguæ apice, fitque determinatio corporis ad potum, apponatur nunc aqua, in parva ab ore diſtantia, increſcit ſitis, & determinatur corpus magis ad aſſumendum potum; ſi vero penicillo adhæreat aquæ gutta, & quis ante ſpeculum ſteterit ore aperto, detineatque penicillum, papillas linguales videbit erigi, emiſſiles eſſe, & attrahi quaſi ad guttam aquoſam, quo autem ſitis major, eo harum papillarum exſertio major erit: quod pariter in eſurientiſſimo obſervari poteſt animali, quando Cibus prope linguam ponitur: ſi vero non ſitiat aut eſuriat animal, & cibum potumve prope linguam poſueris, non conſpicuæ fiunt hæ papillæ, neque eriguntur aut attolluntur, imo velit animus has erigere, nulla tamen prodit, ſed tum tantum ubi fames ſitiſve adeſt. Sed alia videamus exempla longe magis paradoxa, noſtrumque aſſertum planiſſime confirmantia: Itaque conſideret quis tantummodo picas gravidarum mulierum, quibus laborantes tot tamque abſurda ſæpiſſime appetunt, ad quæ determinantur ſpontaneo impetu, non animi, ſed corporis: quæ enim noxia futura credit animus, nihilominus corpus ingerit; corpus hic violentius dominatur, & cogit ad ea inaudita aſſumenda, ſic novi extitiſſe gravidam, quæ ubi pontem pice liquida obduci intuebatur, tanto impetu & amore in picem rapiebatur, ut panem pici intinxerit, eumque brevi avidiſſime deglutiverit, faſſa rogantibus, ſe utcunque abſtinere volentem impetu refrænato, non potuiſſe tamen voti fieri compotem; ſed ſe determinatam vi corporis trahente in eandem. Itidem aliæ (ut quoque virgines chloroſi laborantes) determinantur in arenam, fiſtulas tabacarias, calcem, corium, cineres, ceſpites bituminoſos, fimum equinum, carbones, & in plura alia magis peregrina, a-

qui-

quibus abſtinere nequeunt, quicquid ratiocinentur, & profecto corporis præſens conditio eas urget, ut hæc ingerant, & ſummam continent Medicinam ad abſorbendum acidum, quo omnes fere laborant: quare certiſſimum eſt, quod cum aſſumant virgines, quorum virtutem non ſunt expertæ, quodque abſque ratiocinio fit, & tamen conſtantis eſt obſervationis in omnibus fere, id non oriri ex cauſa cogitante, conſcia, volente, verum ex corpore ſolummodo: Sed in animalibus quæ ratiocinio, judicioque ſunt privata, ergo iis facultatibus quæ potiſſime hominem conſtituunt, non minus mirandæ exiſtunt determinationes, quæ unumquemque perſuadeant oportet, ex ſolo automato eas proveniſſe: detur enim teſtudo per campum ſpatiata & forte a ſerpente mordeatur, vi cujus veneni certo periret, undique hoc læſum animal diſcurrit, nihil comedit, anxium eſt; ſed forte invenit origanum, illico advolat, ſuam deponit anxietatem, plantam comedit & ſanatur: rogatum hic volo quemlibet, cur teſtudo quæ nunquam antea Origanum vidit, nunc illud ſolum appetit eligitque? an homo ſubtiliſſimi ratiocinii *a priori* id cognoſceret? Mehercle neutiquam, niſi vel ſola ediſceret experientia, vel quoque determinaretur motu ſpontaneo in illud idem; ergo ſublata experientia, ſolius automati reſtat actio, quare hinc apparet, quod motus automatici in corpore oriuntur ad præſentiam aliarum rerum: Neque in teſtudine hoc ſolum obſervatum eſt, ſed pariter in muſtela, quando a vipera læditur, moritur enim tum a præſenti ejus veneno, niſi forte Rutam hortenſem invenerit, quam ubi videt, accurrit, comedit, & a morte liberatur; hoc vero facit quamvis antea nunquam Rutam viderit, neque poſtea ſanata, eam eunquam comedit iterum ex ſuo delectu: Videtur profecto naturæ autor plurima arcana in venenis poſuiſſe, ſed ſimul animali corpori eas infudiſſe qualitates, quibus eligeret ſponte illa, per quæ domari poſſet eorum virus, ut fuſius ex ſequentibus patebit exemplis. Conſtat enim ex jndorum hiſtoria naturali, quod Macaſſari venenum habeant, in veſicula alicujus ſerpentis reperiundum, quo cuſpides parvorum telorum illiniunt, quæ in hoſtes per canalem longum cavum efflatu violento expuunt; quicunque tali telo vulneratur, certo perit, niſi illico pars læſa am-

amputetur, vel devoretur ingens copia ſtercoris humani, ut ſudoribus undique diffluat vulneratus; obſervarunt vero Chinenſes, parvum animal, Leoni, quoad externam formam haud multum abſimile, luctans cum eadem ſerpente victoriam reportaſſe, & incolume manſiſſe, aliquando vero ſuccubuiſſe; tanti momenti itaque rem ulterius indagantibus poſtea apparuit, dari quandam plantam, quam illud Leoni ſimile animal devorat avidiſſime, & ejus ſucco totum caput illinit, tum ſolummodo, ubi prælium cum ſerpente inibit, (nunquam alias eâ veſcitur,) quod cum fecerit, ſemper immune a veneno ſervatur, & victoriam reportat, ubi vero non hoc fecerit, & vulneratur a ſerpente, illico occumbit; hoc ſæpius obſervato, uſum hujus plantæ tranſtulerunt in ſuum, & inſtar theæ ejus infuſum bibunt vulnerati, omneſque ſemper tuto nunc ſervantur. Quis hoc antitoxon docuit animalia? Niſi ſolus naturæ autor: & an per ſcientiam ingenitam? an vero per meros motus? prius? profecto abſurdum eſt, & non datur via niſi poſterior intranda: quod etiam quam clariſſime patet in ſequenti exemplo, dum ſcilicet canis domeſticus, nephriticis doloribus aliquamdiu prægreſſis, calculo in renibus laborare incipit, unde cruciatibus continuo vexatus enormibus, miſeram trahit vitam, huic ſi per pratum ſpatiari contigerit, impetus quoque oboritur mirandus, quo in graminis quandam ſpeciem determinatur, quam avidiſſime devorat, quamquam antea nunquam vidit, ſed ad cujus conſpectum retinetur & trahitur, ut cum voluptate veſcatur; ſi vero ſanatus fuerit a morbo, nunquam poſtea eidem indulget cibo, ſed quaſi per incognitum tranſibit: Continet vero hæc planta ſummam medelam, uti hinc uſus ejus ad homines tranſlatus, comprobavit. Apud Antiquos, Teſte Æliano lib. 1. cap. 8. memoriæ proditum eſt, Cervum Tarantula morſum ad hæderam currere ſylveſtrem, tumque morſum nihil detrimenti afferre, cæteroquin periculum eſſe ne brevi moriatur. Sic ab eodem autore cap. 10. Creticæ Capræ jaculis confoſſæ dicuntur repente comedere herbam Dictamnum, tumque jacula tota excidere; plura qui deſiderat ſimilia exempla, in Æliano & Ariſtotele ſuo ſatisfacere poteſt deſiderio. Aſt fide digniſſimum audiamus Baglivium, phænomena demorſorum a Tarantula narrantem

D

tem cap. 9. qui enim ab hoc animali mordentur, paulo poſt humi concidunt ſemimortui, cum totali virium & ſenſuum jactura, jacentque immobiles velut exanimes, contra hoc venenum ſola Muſica opem fert, quæ ubi delectiſſimos gratiſſimaque varietate harmonicos ſonos excitat, tum æger incipit ſe movere, & ſi humi jacet, vehementiſſime in pedes elevatur, ſaltationes inchoat, & modis admirandis contorquetur, & quod maxime mirandum eſt, quod rudes puellæ & inculti ruſtici, qui nunquam ne viderunt quidem nobiliora Muſices inſtrumenta, ſaltationis tamen tempore tam periti evadant diſſonantiarum & conſonantiarum artifices & cenſores: ubi vero deficit muſica, miſere moriuntur Apoplectici: Saltatio igitur & muſicæ peritia non ex prægreſſa oriuntur cognitione, ſed tantum ex corporis motu, qui tum excitatur, quando corpus & læſum eſt ab hoc animali, & Muſica exercetur; cur enim æger hic ſaltat? an delectu proprio? neutiquam, ſed invito cogitur ſaltare nullo homine ipſum impellente, quamdui tonos modulantur Tarantellæ, & nondum ipſum venenum ſubactum fuit in corpore; neque æger cognoſcit tum adhuc an ſaltatio ipſum curabit, ſed corpus ipſum cogit ſaltare, & quidem vehementiſſime per horas duodecim de die, neque inde delaſſantur, quod peritis an paradoxon, judicandum relinquo; ſed inde agiliores fortioresque evadunt, imo per eas horas ſucceſſivas ſaltant, ſi modo nullam diſſonantiam in muſicis inſtrumentis vel tonis harmonicis percipiant; neque natura tantum excitat in hominibus, verum etiam referente Epiphanio Ferdinando & Sennerto, reliqua animalia demorſa a Tarantula coguntur ſaltare, & ſic curantur, quare evidentiſſimum eſt naturam hic moliri Medicinam, quam ingenium & ratiocininium nunquam invenirent.

Quicunque omnia hæc attento revolvit animo, inveniet quod obſtupeſcat, dum brutum animal, rationis expers eligit optimam ſibi Medicinam, quam, an proficua futura ſit, ignorat; verumtamen in quam determinatur motu ſpontaneo: & nonne hoc idem eſt, ac dum nonnulli homines Tertiana intermittenti laborantes per longiſſimum tempus, appetiverunt haleces, alii vini largum hauſtum, alii Lardum, hæc avidiſſime ingeſſerunt, & curati ſunt: non hoc ex ratiocinio provenit aſſumendum auxi-

auxilium, ſed ex ſolo impulſu automatico: Imo forte quæ cauſa hujus exercitati motus præternaturalis in animalibus exiſtit, cauſa etiam eſt, cur certa animalia comedant modo hæc arborum folia & alia non; ſic Bombyx delectatur Moro, non comedit Tiliam; miſce folia variarum arborum cum invicem, ſola illa mori eligentur a Bombyce; Tiliæ ab alio verme &c. unde determinatio animalium ad cibos certos quaſi naturalis & automatica eſt: ſi nunc ſecum eat homo ſeſeque concipiat inſtar animalis experientiæ expertem, recens natum, & inter ſtrues patinarias variis dapibus onuſtas, poſitum, an in unam crederet ſe raptum iri ſolam, & quidem in eam ſolam, quæ ſanitati & vitæ conſervandæ apta eſt? id profecto ſi fieret, caſui fortuito adſcriberet; ſed ſi fiat conſtanter in omnibus recens natis, an non incipiet ſuſpicari eſſe aliquid ſingulare in his, quod determinat eos in illum cibum potius quam in alium; ſed quid eſt hæc determinatio? excitatio ſc. certi motus: Unde illæ & tam conſtans eſt idem, ubi nulla experientia eſt prægreſſa, ergo nulla cognitio, vel animi ratiocinium, quod motum excitaret? profecto non niſi a corpore ipſo, quod ſub his legibus eſt creatum, ut ad talem præſentiam rerum tales motus & determinationes excitet: ſatis igitur ex dictis patet excitari in corpore à corpore motus, qui determinant animal ad alia ſibi jungenda, quamvis nullam adhuc habeat eorum experientiam, ut ex teſtudine, muſtela, cervo &c. liquet: verum reliquas proprietates horum motuum examinemus, ut ex iis tanquam ex tot datis ratiocinari tuto pede pergamus.

§. 4. *Non tamen hi motus (§. 3.) adſunt ſemper in omni animali morboſo.*

Candide fatendum eſt omne animale corpus non ſemper excitare motus automaticos ad ſui conſervationem, ſed nunc hos, nunc illos ciet in eo genere animalium, in alio plane nullos: res evidenter patuit in hiſtoria Macaſſarorum, quo homo intoxicatus nullam percipit determinationem in illam plantam, quæ ſolum remedium mali ſui continet, in quam tamen fertur animalculum illud Leoni ſimile, neque hactenus obſervatum fuit, alia animalia

 ab

ab eadem ſerpente demorſa illam devoraſſe plantam, ſed omnia potius occubuiſſe: ſic Canis nephriticus Parietariam elegit, ſummum morbi ſolamen, homo tantum a Cane didicit, non ſenſit unquam ſe determinatum in eandem; pariter nonnulla Animalia a vipera læſa, illico vulnus ſugunt, & notante Clar. Rhedo tutiſſime evadunt, dum nullum remedium tali affecto convenit, quam ipſum viperæ venenum aſſugere ore, ut quoque ex antiquis Mardis & Pœnis conſtat; verum alia animalia non lambunt hæc viperæ vulnera, & hinc certo pereunt: Motus vero automatici narrati §. 2. ſunt communes omni animali corpori; motus itaque §, 3. ſunt particulares huic aliive animali.

§. 5. *Sunt quoque aliquando fortiores & plures ſimul in vario animali pro corporis ſtatu.*

Qui attendit nonnunquam ad hos motus automaticos, cognovit jactationes corporis in febribus ardentibus in uno ægro longe fuiſſe majores quam in alio; ita ad aſſumtos nimios potus, vel venena, in uno longe vehementior oboritur vomitus quam in alio; ſuſpiria in Maniacis, Melancholicis, Phreniticis, vel morbo pectoris laborantibus ſunt profundiora & frequentiora, quam in aliis morbis: nonnulli minus, nonnulli magis quoque ſuſpirant ægri:

Quare ex his liquet dari gradus inter motus hos, neque omnes ſemper eſſe eoſdem, vel eadem copia: Gradus igitur infimus erit, ubi motus excitatur minimus: maximus quando corpus omni vehementia ſeſe commoveat, vel feratur ſummopere in alia medicantia.

§. 6. *Suntque aliquando hi motus conſpicui immediate in parte affecta, aliquando in aliis corporis partibus.*

Non enim pars corporis tantum ſibi proſpicit; ſed quoque aliis; dum omnes cognatione mutua cum invicem junctæ unum aliquod conſtituunt, a cujus valetudine ſuam acquirunt, aut pulcritudinem nanciſcuntur. Voluit earum autor ut quoque una labo-

borante, reliqua ſuccurrerent in mutuum auxilium; ſed aliquando pars morboſa per ſe ſola apta eſt, vel ſufficit ægritudini debellandæ, quare ea tum ſola in motum redigitur, veluti dum pulmo obſtruente ſanguine hinc inde impletur, ſuſpiria obſervantur frequentia, quæ tantum ſunt aeris profundæ reciprocationes in & ex pulmonibus, quibus vaſa pulmonalia tantum aperiuntur ac deſideratur; nullum vero membrum hic quid conducere poteſt ad deobſtruendum hærens, quare ſolus pulmo agit, ſeſeque explicat, conatus proſpicere ſuæ reſtitutioni: plures vero ſunt huic ſimiles motus: ſed quando partes aliæ concurſu ſuo aliquid boni præſtare poſſunt, natura eas in ſubſidium vocat, ita in dormiente converſio de latere in latus, fit ope muſculorum totum corpus moventium, & non tantum per eos, qui compreſſi ſunt; & in anxietate ex hepatis inflammatione oborta, totum corpus, manus, pedeſque extenduntur, omnia in miras torſiones vertuntur, modo ut hepar alternis vicibus comprimatur & relaxetur, ac hærens obſtruens fluidum propellatur: in hepate autem ipſo nullus tum conſpicitur motus, quapropter aliæ partes ſuo motu ipſi proſpiciunt, & intimo amore neceſſitatis ductæ ad vitam, omnem navant in ſanitate reſtituenda operam.

Hinc patet 1. omnes partes affectas non excitare motus automaticos, vel ſaltem in iis non eſſe conſpicuos, non enim in Hepate, Corde Liene, Pancreate, Cerebello &c. tales obſervatos vidimus motus.

2. Sunt tamen æque in partibus principalibus ad vitam, quam in minus principalibus; anhelatio, ſuſpiria, tuſſis &c. docent in pulmone quoque eos fieri, qui eſt viſcus ad vitam ſumme neceſſarium, dum in aliis partibus minus principalibus evidentiſſime cernuntur.

§. 7. *Conſpiciuntur æque in levibus corporis affectionibus, quam in lethiferis.*

Morbus levis vocatur, cujus præſens conditio neque periculum infert, neque moram aut negotium curationi faceſſit; in tali conditione corpus ponitur dormiens, in quo converſiones

de latere in latus continuo fiunt, quæ ſi non fierent, non tamen cito corpus inde valde læderetur; ſic in nimia ventriculi repletione fiunt quoque vomitus, qui ſi abeſſent, tamen cibi digererentur, verùm longiori indigerent tempore, ſunt hi itaque morbi leves; verum in febribus ardentibus ubi agonizant ægri, obſervantur ſuſpiria, anhelationes, jactationes; ubi momorſa ſunt animalia a ſerpentibus feruntur in varias plantas, uti viſum eſt, quum tamen periculoſiſſimi ſic ſunt ſtatus corporis; quare in gravibus & levibus affectionibus, hi motus automatici adſunt.

§. 8. *Durant tamdiu donec ſperatum effectum habuerint, quamdiu vel corpus motibus excitandis aptum ſit.*

Patet ſi enarrati conſulantur motus automatici §. 2. ſi enim ophtalmia quis laboraverit, fiet tamdiu palpebrarum occluſio, ac morbus duraverit: ſi hepar Inflammatum, ſemper aderunt anxietates ad mortem uſque; ſi Peripneumonia, ſemper aderit anhelatio ad ultimum halitum, niſi ſolvatur morbus; ſic vomitus ab aſſumto veneno fient tamdiu ac venenum in ventriculo hæret, vel ceſſant, ſi corpus viribus proſtratis jam agonizat, neque excitandis motibus ſatis aptum eſt; diarrhæa adeſt perpetua, quum acria lædunt inteſtina, donec fuerint expulſa, tumque ceſſat; quare corpus molitur ſuam curationem quamdiu poteſt per vires ſuperſtites, neque prius otioſum a laboribus vacat, niſi mali lædentis cauſam ſuperaverit, & glorioſum reportaverit triumphum; vel ſi omnibus viribus jam conſumtis collabaſcat & fato cedere cogatur; & nonne hinc animalia in periculo vitæ poſita, ut dum aquæ inciderunt, totidem exercent conamina, ut obſtupeſcat quiſcunque ſpectator, naturæ ultima molimina longe vires animalis ſuperantia ſic contemplatus, ut modo vitam ſervet: quando etiam in ſomno corpus convertitur, id tamdiu fit, donec locus compreſſus liber rurſus evadat, & eo facto, motus ceſſat, ac corpus in quiete relinquitur; quare ex hiſce ſatis probatur quod aſſeritur.

§. 9. *Augentur quoque ſemper pro periculo majori partis affectæ.*

Si

Si enim corpus alicujus ægri exſiccari incipiat, in lingualibus papillis ſiccitas & criſpatio quoque oritur, unde ſitis: verum ſi ſiccitas corporis increſcit, ſitis augetur, donec ſumma tandem ſit, ubi papillis criſpatura ſumma, & periculum fiſſuræ, & plenariæ ariditatis ſtatus inductus eſt, ſi enim hæc adſint: vere ſitis rurſus diſparet, ſed tum partes ſunt deſtructæ, & Mors inſtat. In corpore, quod fluida omnia nimis craſſa habet, quæ convergunt ad concreſcendum, jactatio, conſpicitur, ſed quo magis adhuc diſſipantur fluidiora, eo diſpoſitio ad concreſcendum augetur, hinc quando corpus quieſceret & partes comprimeret, citius vaſa inutilia & obſtructa forent; verum hunc in finem auget natura jactationes, hinc quo ægri ſtatus pejor fit, ſemper eo jactatio major eſt: & nonne anhelationes quoque increſcunt, quo pulmo magis obſtruitur? nonne hinc Medicus præſagit circulationem vitalem per pulmones eſſe parvam & fieri laborioſe, & nonne ſemper augetur anhelatio, quo mors præſentius inſtat? quare ex auctis motibus automaticis, ſemper Medicus concludere poteſt, naturam jam ſentire morbi ſtatum non poſſe ſuperari, niſi violentiores excitat motus, quos pro gravitate mali invenit, adeoque periculum adeſſe majus, dum quo natura magis ſe moveat, eo citius deficiet, & hinc metus eſt ne fatiſcat mediis in moliminibus.

§. 10. *Exiſtunt autem plurimi horum motuum tunc tantum quando animal laborat, abſunt vero quando ſanum eſt.*

Nonnulli motuum automaticorum nunquam conſpiciuntur in animali, niſi quando hoc illove laborat morbo; alii vero in ſtatu ſano quoque obſervantur, ſic dormientis de latere in latus converſio, eſt tantum motus converſorius corporis, qui in ſtatu vigiliarum ſæpe fit; jactatio hinc & ſuſpiria in ſanitate quoque obſervantur, verum alii motus nunquam fiunt niſi in ſtatu morboſo. Sic mulieres non appetunt abſurda illa terreſtria, quæ memoravimus §. 3. niſi dum pica laborant; vomitus non fit, niſi cum acria fuerunt aſſumta, vel inflammatus aut nimis repletus fuerit ventriculus; non determinantur ſues ad comedendos

dos

dos cancros fluviatiles, referente Æliano, niſi cum Hyoſcyamum devoraverint: non obſervata eſt teſtudo Origanum in ſanitate comediſſe, ſi non a ſerpente prius fuit demorſa, & ſi omnia hæc appetebantur durante morbo, illico ceſſant, morbo ſublato. Quare hinc patet quod natura excitat alios motus in corpore ſano, alios in corpore ægroto: 2. omnes tamen conducunt ad ſanitatem conſervandam 3. & ſunt proportionales gravitati morbi.

§. 11. *Sunt quoque in omni ſexu, ſed nonnulli videntur uni ſexui magis proprii.*

Qui examinat omnes motus automaticos memoratos §. 1. 2. 3. inveniet fere omnes eſſe communes omnibus animalibus, æque brutis quam hominibus, & æque in ſexu maſculino quam fœminino; modo excipiat eos, qui oriuntur ex diverſa corporis fabrica, quoniam enim organa alia ſunt in maribus, alia in fœminis, quæ ab hac diverſitate originem ducunt, etiam iſti ſexui proprii ſunt: hinc omnes iſti motus ſunt in fæminis, quæ in maribus, ſed præterea in fæminis dantur iſtæ mirabiles picæ, tempore quo menſibus laborant, vel utero gerunt, vel partu enituntur; qui ſpeciales antea memorati ſunt.

§. 12. *Non tamen ſemper hi motus ſibi alliciunt omnia, verum antitupiam aliquando excitant, eamque ubi adſunt vel remedia, vel alia quæ lædunt.*

Aſſertum hoc iterum Experimentis probandum erit, quod plurimis revera fieri poſſet, ſi rem latius oſtendere volupe eſſet; manifeſtiſſimum aliquod eſt in Hydrophobo, qui dum aquæ admovetur, quæ optima cæteroquin ipſi eſt medicina, incipit tremere, horrere, eamque omni conamine effugere, licet quoque æger hujus Medicinæ fuerit peritus, & ab ea omnem ſalutem expectet, nihilominus in ſe horrorem oriri ſentiet ſimul ac aqua in propinquo ipſi apponitur; dum vero ſimul ſitit, appeteret aquam, ſed motus prior vehementius dominatur, & cogit corpus ut aufugiat aquam quantum poſſit: huc

hunc motum automaticum vere eſſe nemo in dubium vocabit, qui enim & ignorante animo, vel quoque in peritis contra voluntatem fieri agnoſcit. Sed & obſervatum fuit in peſte, qua correpti febre ardentiſſima laborabant, quod ſi daretur aqua ſalſa, repudiaretur inſtar veneni, nec corpus utcunque ſitiens & defectu liquidi laborans, eam aſſumere poterat, verum eam aufugiebat motu contrario excitato: ſi quoque oleum rancidum, vel ova putrida propinantur comedenda, illico corpus horrorem concipit, vomit, anxium eſt, febricitat; immediate poſt appone eadem, ſola præſentia horum eoſdem reſuſcitat in animali motus, unde aufugere cogitur animal hæc, licet fames urgeat, & voluntas hæc aſſumenda ſuaderet, ſed motus corporei excitati plus præſtant: neque id hic tantum verum eſt, ſed ſi æger ſucceſſive per dies aliquot purgandus eſt, prima die hauſerit purgans, nec ita averſabitur, ſecunda tamen die aliquantum averſabitur, per varias vero vices faſtidium ita increſcet, ut tandem non amplius eadem ingerere corpori poſſit, utcunque hæc ſibi proficua cognoſcat, & curari toto exoptet deſiderio: Sed lubet alia exempla lippis tonſoribuſque nota proferre, & quidem plurimorum hominum ita comparatorum, ut dum verſantur in camera, in qua felis habetur, imo licet quandoque hoc animal penitus lateat, nec an adſit cognoſcatur, nec in oculos incurrat, in animi incidunt deliquium: Alii de intolerabili anxietate, vertigine, nauſea conqueruntur, unde illico ſollicitiſſime inquirunt, an non felis in hoc vel proximo loco lateat concluſa; neque hoc eſt in uno alterove homine, ſed in plurimis & æque in maſculino quam fæminino ſexu: Quare qui ita conſtitutum corpus ſecum gerunt, feles earumve conſpectum & viciniam cane pejus & angue vitare coguntur: Non hoc provenit ex hominum imaginatione, quia ubi viſus & tactus non afficiuntur vel non affecti ſunt antea, nulla fit rerum in anima vera imago; quare non imputandi motus erunt imaginationi, ſed ſoli corporum actioni in ſe quaſi agentium in certa diſtantia; ſic fœminæ dantur, quæ intrantes cameram in qua vel prope quam habetur, caſeus ſtercore ovillo ad viridem colorem redactus, neſciæ licet ejus, & contra animi ſententiam, illico de vertigine & anxietate conqueruntur, ſi maneant, in vomitos incidunt enormes, inde concludentes caſeum ibi hæſiſ-

ſe, ex interrogatis hujus rei conſciis ſe nunquam deceptas fuiſſe intelligunt.

Sunt hæ enarratæ §. 11. proprietates, quæ vere obtinent in motibus automaticis, plures accurata obſervatio & longior indagatio deteget, dum quoque hoc negotium uti omnes res phyſicæ, ex continuo auctis obſervationibus modo perfici poſſit: Ex hiſce vero abunde patet Mechanicas corporis conditiones, ſub quibus Creator animalem machinam condidit, tales eſſe, ut nervis in certo ſtatu poſitis, certus oriretur motus, cujus cauſa tantum eſt hæc connata partium per infinitam voluntatem diſpoſitio: Eodem modo ac gravitas eſt corporis cujuſvis connata facultas, ut corpore dato gravitas detur, ſic corpore animali diſtracto, convulſivus motus oritur; quare qui hæc attente revolvit, nec ad aliam cauſam primam, nec ad materiæ cujuſdam ſubtilis operationes confugiet, ſed ſe leges primas corporis animalis, quibus ſe conſervat, annotaſſe confidet, iiſque acquieſcet. Sufficerent hæc huic materiæ, in qua tamen plurima adhuc inquirenda reſtant, ſpeciminis ergo liceat addere hæc Problematica, quæ ſi ſimilibus conjungerentur, & dein ſub examini accuratiori revocarentur, haud pauca detegerent huc uſque arcana.

§. 13. *An ſpiritus animales, qui in actum deducuntur in motibus automacis ſunt Cerebroſi vel Cerebelloſi?*

Motus omnes voluntarii, qui in animali cernuntur, peraguntur, tum quando cerebrum ſanum eſt, & ſufficientes poſſidet ſpiritus, quos per nervos legat; non vero legat eoſdem, niſi mens cognoſcat; cerebro autem corrupto, exeſo, compreſſo, ceſſant omnes voluntarii motus, neque proin per nervos a cerebro oriundos ſpiritus cerebroſi vehuntur: Durante vero vitâ ſemper per organa vitalia ſpiritus cerebelloſi fluunt, hinc in ſomno motus cordis, reſpirationis &c. ſolis cerebelloſis debetur ſpiritibus, cerebello enim læſo ceſſant ſtatum hæc omnia; verum in ſomno fiunt motus automatici nonnulli, uti converſio de latere in latus; in apoplexia fit applicatio manus ad partem afſe-

ſectam, & alii motus automatici fiunt non cogitante ad eos animo; quare dum motus a cerebro oriundi tantum poſt conſciam cogitationem fieri ſolent, & motus a cerebello non conſcio animo; veriſimillimum eſt motus automaticos medicantes operari tantum per ſpiritus a cerebello oriundos.

Corol. Ergo motus automatici naturales & medicantes eadem organa & fluida habent, in quæ proxime operantur.

Naturales enim hi motus a cerebello tantum pendent, eoque læſo vel compreſſo ceſſant illico, fiunt vero quando cerebellum eſt integrum, licet cerebrum affectum vel penitus compreſſum fuerit; quare dum medicantes motus a cerebelloſis oriuntur ſpiritibus per nervos inde oriundos delatis, hi quoque ab iiſdem pendebunt, & eadem fluida requirent ab eadem origine derivata.

§. 14. *An motus automatici §. 3. increſcunt proportionaliter pro variis diſtantiis corporum in quæ animalia determinantur?*

Solvere hoc problema nequeo defectu experimentorum, Sitis autem increſcens propinquitate potus ad linguam, ſuſpicionem noſtram hic vellicare viſa fuit.

§. 15. *An in eodem morbo requiritur ut natura excitet eoſdem motus automaticos, vel animal determinet in eadem medicantia.*

Abſit quam longiſſime ut huic ſententiæ ſubſcriberemus, fateor ubi in corpore animali certæ inductæ ſunt mutationes, & certi producti motus, iis nomen ſolemus dare, quod in omnibus corporibus idem eſt, licet varietate magna inter ſe diſcrepantibus: ſic quando pedes inflammatione ad articulos corripi-

E 2 un-

untur, podagra morbus audit, non vero in omnibus podagricis corporis conſtitutio eadem eſt; in aliis enim fibræ ſunt debiliores, in aliis fortiores; in hoc fluida magis vergerent ad aceſcentiam, in illo ad alcaleſcentiam, in altero muriaticæ ſunt indolis, & in omnibus variæ fluiditatis: quare idem morbus quoad nomen oritur in corporibus oppoſitæ interdum conſtitutionis: dum itaque in tali corpore animali, tali ſolidorum robore, cohæſione, nexu, talibuſque fluidis, tanta copia, dataque acrimonia prædito motus aliqui fiant, vel in eo ſolo, vel cum adſunt alia corpora, nulla ratio eſt cur in alio corpore ubi ſolida & fluida prorſus diverſa ſunt, iidem conſpiciendi eſſent motus: quia ſi natura ſe conſervabit, & ſanitatem reſtituet, id faciat oportet juxta eas leges, quæ in corpore excitari, & ab eo in actum deduci poſſunt: ſed ſemet ipſam natura ſemper optime cognoſcit, an igitur motus auderet excitare tantos in corpore, ubi fibræ ſolidæ vel nimis debiles ſunt flacciditate, aut rigiditate & extenſione, quam ubi omnes ſunt in robuſtiſſimo ſtatu? ſi tantopere priores moveret, deſtrueret, non conſervaret ſe: Quando quoque fluida in hoc corpore tenacitate majori, craſſitie, vel fluiditate laborant, quam in alio, an idem excitari poteſt motus per hæc, an eundem præſtarent effectum, ubi tamen idem nomine morbus partem invaſit? Medicina Methodica & ratiocinium diverſa exigeret remedia in tam variis corporis conditionibus, nonne igitur natura, optimus ſui Medicus viamque nobis præmonſtrans, alios in uno excitabit motus quam in alio: quos etiam in hoc corpore moveret, forte impedirentur per obſtacula, ne edant ſuos effectus, quæ in alio abſunt corpore, in quo nil, niſi quod motibus a natura excitatis obſecundet, reperitur: Hinc quamvis natura ſui eſt conſervans, aliquando impediri poteſt, ne in hac corporis conditione præſtet, quod in alia facillime peragit: inde nunc apparet cur Muſtela icta a vipera curatur ruta: Teſtudo origano: Leoni ſimile animalculum alia planta: homo a Tarantula læſus tali aliove cantu, quippe in omnibus eſt diverſa ſolidorum & fluidorum conditio, licet vulnerentur ab eodem animali & eodem modo intoxicentur; ideo quod toxicon uni eſt animali, non nocet alteri, nec Scorpio per ſuum perit venenum, nec Tarantula per

ſuum,

ſuum, utrumque animal tamen ſe mutuo interimit alternis vulneribus. Sic quoque in mera bruta materia res comparata eſt, ubi ſc. magnetica vis inter quædam obſervatur corpora, hæc non in omnibus ejuſdem familiæ eadem eſt, quare nec magnetes omnes æque fortiter trahunt, pendet enim virtus ab omnibus concurrentibus partibus, earum ſitu, cohæſione, magnitudine & nexu cum invicem, quæ quando mutantur ignitione vel percuſſione valida, virtute attractrice ſpoliantur, in corpore animali res aliter ſe non habet, in uno enim ſtatu motus excitatur, in altero, ubi partium ſtructura, magnitudo, cohæſio & nexus variant, motus automatici excitari nequeunt; hinc in uno ægro conſpiciuntur, in alio non: Quando igitur expectandi erunt iidem? cum morbus idem & omnes conſtituentes corporis partes plane eædem, quod raro contingere poſſe lubens fateor: verum omnia corpora animalia ſunt ſibi ſimilia, licet hinc non plane iidem excitentur motus, ſimiles tamen cieri poſſunt; ubi morbus ſimilis, cum partibus ſimiliter conſtitutis dabitur.

§. 16. *An motus Medicantes §. 3. non oriuntur in animalibus ex impulſu partium exhalantium ex corporibus, quæ applicantur, & nervos organi olfactus gratiſſimo & ſibi convenientiſſimo afficiunt modo?*

Multa ſunt quæ ſuſpicionem movent rem ſeſe ita habere, quamvis plurima adhuc inexplicabilia appareant, verum concipiamus animal quoddam v. gr. Teſtudinem, Muſtelam &c. læſum a Serpente; ab illius veneno totum corpus concutitur, nervi omnes agitantur, diſtrahuntur, convelluntur, ut ex phænomenis læſi animalis apparet. Ergo prope plantam Origanum dictam tale verſetur animal, & quia odorem hæc planta late de ſe undique ſpargit, per inſpirationem plures partes odoriferæ in aere volitantes intrent animalis organum olfactorium, in quo ſi nervos nunc agitatos ſuis applicationibus, vellicationibus alio movent modo, unde prior motus deletur & ſiſtitur, non poterit non omnis nervus cum

his olfactoriis communicans a motu ſuo præter naturali pacari, unde corpus a periculoſo ſuo in ſalubriorem redigitur ſtatum; hinc animal impetu cogitur appropinquare ad eandem plantam. 1. ut plures partes odoriferas pacantes nervos ſuos accipiat: dein ut guſtu, & comeſtu alios nervos corporis agitatos, quoque ſedet; Et nequis objiciat hic Parietariam non eſſe tam odoriferam, quam canis eligit nephriticus, vel calcem murariam a virginibus appetitam, videri ſpargere partes odoriferas; aſſero tamen acutiſſimi Boylei experimentis de atmoſphæris corporum ſuffultus, hæc corpora æque exhalare continue plurimas particulas, quas inſpiramus cum aere, quam alia valde odorifera, nam qui analyſi chemica plantam hanc examinaverit, & calore ſolari æquali ejus vaporem collegerit, magnam copiam aquei, odoriferi leviter & ſpirituoſi fere vaporis congregabit, qui eodem modo ſemper ex planta, dum veget, exhalat: & quod calcem attinet, quis eam non fortiſſime fætere invenit, quando ingreſſus fuit ædes recens factas; non ſolemus ab hoc fætore ita affici, quia aſſueſcimus eidem, & quia nervi olfactus eodem modo perpetuo agitantur ab illius effluviis, ſed cum alia nervis inducitur conditio, a prioribus diverſa, tenerior multo, uti eſt in virginibus chloroſi affectis, quid impedit quod non poſſint ab exhalationibus calcis vel aliorum corporum nunc validius affici, & inde quia nervis amicæ inveniuntur hæ exhalantis partes, corpus animale impellere ad ea aſſumenda, quæ nervis affectis medentur. Fateor tamen plura hic dari abſcondita, quæ neque ego, neque forte ulli mortales unquam explicabunt.

Ca-

Caput Secundum.

De auxilio ex Motibus automaticis expectando in corpore animali ægroto.

Ne in magnum volumen excreſcat hæc diſputatio, paucos ſuffecerit examinaſſe motus automaticos, & emolumentum quod præſtant corpori animali in conſervationem vitæ & ſanitatis; ex hiſce enim de aliis ſive cognitis ſive adhuc detegendis par ratio deduci poteſt, ſi modo quis ſedulo ad fabricæ conſtructionem, tumque ejus præſentem ſtatum, & dein novam mutationem ex motu oriundam attenderit; Sed quoque in praxi Medica ſummos expectare licebit fructus, qui bene noverit animum advertere ad hoſce motus eoſque ab aliis diſtinguere, quos vel voluntas, imaginatio, aut Medicamenta ægro exhibita excogitaverunt. Hæc in cognitione præivit nos magnus Hippocrates, qui ubique in ſuis monumentis inculcat, morborum naturam eſſe Medicam, eamque vias morbos ſolvendi ſine conſilio invenire; unde quoque ipſum ſecuti obſervantiſſimi Practici, ſtabilitum ſemper invenerunt, quod *natura non docta, quod didicit, tamen rectum faceret*, vid. Duret. in Coacas, & Freind in commentar. ad Epidemic. Hippocrat. innuentes ſcil. compagem animalem morbo correptam certis conquati motibus, quos ſola corporea fabrica excitat, quæ nihil cognovit, quippe abſque perceptionis ac cogitantis doctove animo expers exiſtit, quæ tamen ſtatum morboſum ſemper optime reſtituit, & quidem per modos, quos ſagax mortalium ingenium, nec prævidere nec invenire poterat, & quos in curatione ſequendos, uti tutiſſimos & optimos, omnis obſervatio Practica ſemper evicit.

Videamus itaque 1. motus eos qui in corpore animali ægro ſolo, obſervantur. Veluti in morbis a nimia repletione aut obſeſſione alicujus partis, oriundis; veluti dum ventriculus ac primæ viæ concoctionum ſunt obſeſſæ muco, pituita, ſaburra, vel repletæ nimio potu ciboque; in his omnibus enim caſi-

ſibus ſolet natura vomitus excitare, & expellere omne contentum in iis partibus per ſuperiora; quare nunc inquirendum an vomitus a natura hic productus, ſit ſaluberrimus, partemve ſanabit? quod me jure aſſerere poſſe optime opinor, ubi enim pituita, mucus, ſaburra obſeſſerint latera ventriculi, atque ita aſſumtorum attritus, aſſimulatio, concoctio impeditur, neceſſe eſt ut latera ab hiſce ſibi adhærentibus tenacibus maſſis liberentur; id vero fieri nequit compreſſione muſculorum abdominalium & diaphragmatis ac inteſtin. naturali, tum enim nunquam accreſceret, ſed oportet ut id fiat compreſſione majori, verum vomitus non niſi enormi memoratarum partium actione in ſe invicem excitatur, quæ ſola actio ſufficit abradendo hoc muco, quod tum etiam evenit, & per ſuperiora redditur, ac ſic omni tenaci morbifico expulſo, ſanitas ventriculo reſtituitur: & nonne Medici hunc ventriculi ſtatum cognoſcentes, cæteroquin vomitoria propinare ſolent, ſine quibus plerumque & diuturna & haud proſpera eſt hæcce Praxis. Quare ſic conſtat naturam per cietos vomitorios motus optimam inſtituiſſe Medicinam, & ſe ſanitati reſtituiſſe, & ſi concipiam ventriculum aſſumtorum enormi copia nimis diſtentum, fibraſque paralyſeos periculum incurrere, ſi diutius hoc nimium onus diſtendere pergat, natura pariter, id eſt ſola corporea fabrica, excitat ſpaſmos, convulſiones in ventriculi ipſius fibris, dein in muſc. abdom. & diaphragm. & per vomitum exonerando ſeſe vacuum acquirit ventriculum, cujus fibræ rurſus ſe contrahere poſſunt, & a nimiæ diſtenſionis periculo ſunt liberatæ.

Verum 3. plethoram ex abundantia ſang. boni in maturis virginibus concipiamus natam, hæc ubi ad certam increvit terminum, ultra quem vaſa non amplius diſtendi poſſunt, quin amittendo de ſua vi contractoria languerent, ſolet natura evacuationem moliri, & quidem ex vaſis uterinis, in tanta copia, ut corpus iterum ſanitati reſtituatur, ars vero nil melius in tali conditione inſtituerit, V. S. enim ab illa indicaretur, ut ex uno vulnere minueretur copia ſanguinis, quæ nunc a natura per plurima vulnuſcula perficitur: imo ars hic ſemper imitando naturam agit: hæc ſe curat ſponte, altera curat ex ratiocinio, hæc certo, illa dubie. Vide quæ ſupra hæc eodem plane ritu

&

& experientia ratiocinetur Duretus in Coacas Hipp. Tract. 3. de morbis mulierum §. 10.

§. 2. *Ubi aliquid in corporis animalis parte præternaturaliter habetur, omni conamine ſe liberat ab eo natura.*

Per naturam, volumus fabricam animalis corpoream, una cum motibus, quos ex ſe excitat; ſit itaque 1. aliquod corpus peregrinum illapſum Tracheæ arteriæ, quod ſuo pondere vel acrimonia pulmones infeſtat; non ſolet natura expectare in gerendo hoc incommodo, quia extemplo excitet motus violentos, nempe tuſſim, cujus ope ſurſum expellere conatur, quod hic ingreſſum hæret; quod enim hic nunc eſt, expellendum vel eximendum eſt, ſi requiſitus pulmonis ſtatus manebit, expulſio vero omnis verſus ſuperius foramen fieri neceſſe eſt, per quod incidit, quia unica hæc modo via eſt, ergo ab inferioribus ſurſum verſus parti illapſæ dandus erit motus; an vero tuſſis quid aliud agit, ſolet ſc. totus Thorax cum pulmonibus & diaphragmate per repetitas vices violenter conſtringi, & aërem in bronchiis ac veſiculis pulmonalibus contentum ſubitiſſime exprimere, qui incurrens inferne in illapſum, illud elevat ſurſum verſus, duratque hæc naturæ operatio, quamdiu illud interne hæret, imo quandoque ad mortem uſque; non vero excitatur hæc tuſſis ex præconcepta Medicina, vix enim voluntas tuſſim excitare poteſt, ſed contra voluntatem ex ipſa lege connata corporis oritur, qua ſe conſervare nititur, & depurare ab omni heterogeneo. 2. Evincitur quoque hoc Chirurgicis experimentis, ubi enim in vulnerata parte corpus quodcunque heterogeneum hæſerit, non occluditur vulnus, niſi natura excitaverit circumquaque circa heterogeneum vaſorum ſuppurationem, & a poſticis propellat illud ad anteriora minus reſiſtentia, ut vel ſponte excidat, vel facili opera eximi poſſit, quod antea nimis abſcondite latebat. Et profecto niſi ipſa natura hanc methodum inveniſſet, incurati exiſterent plurimi, dum ars & in excitanda ſuppuratione, & ingenium, quare hæc ita fiant, ignorant.

3. Et nonne omnes ſic Morboſorum fluidorum in corpore

 fiunt

fiunt criſes? ubi enim aliquod fluidum morboſum in vaſis hæſerit, id vel corrigendum vel expellendum eſt, utrumque molitur natura, nam vel excitat febrim, ſanguinis & omnium fluidorum motum augendo, & omnia atterendo, & hinc fluidis naturalibus aſſimulando morboſum, vel per ſudores, urinam, alvum, hæmorroides &c. expellit; quod ſi ars ope Medicamentorum præſtare voluerit, ſæpius rem in deterius convertit; ſed monent optime ſemper una cum Hipp. cautiſſimi Practici, criſes a natura procedere, easque ſemper naturæ ſoli eſſe committendas: unde vero hic febris, ſudor, urina oritur? an ex animo ægrotantis, neutiquam, ſed tantum ex ipſa fabrica corporea, quæ inſcio animo ex ſe hos motus ciet, & has determinationes varias per varia, materiâ morboſâ magis vel minus mobili, per magis vel minus reſiſtentia emunctoria dat, ut morbificum expellatur.

§. 3. *Ubi acrimonia in corpore hæret; natura determinat ad aſſumenda corpora, quæ acrimoniam domant.*

Notiſſimum enim eſt, 1. virgines cachecticas, pica laborantes, in primis viis accumulaſſe acrimoniam acidam, quæ quandoque inſurgente malo totum corpus percurrit, hæ, ubi animam expirant, acidum redolent, ubi evomunt vel eructant, nil niſi acidum propinant; docet vero experientia phyſica, acidos ſpiritus liquoreſque per injecta terreſtria vel alcalia domari; ita ut acrimoniam omnem deponentes dulcem induant ſaporem, velut ex injecta creta vel coralliis in acetum, vel cineribus clavellatis ipſis injectis quoque conſtat; dum igitur in virginum ventriculis aceſcant præ debilitate omnia fere, quæ ex vegetabilibus aſſumuntur, & hæc in loco tepido fota magis aceſcant perpetuo, erodentia ventriculi tunicam evadunt; huic vero ut obviam eatur malo, ſolet natura in his excitare appetitum ad aſſumenda omnis generis terreſtria, quæ abſorbent & dulcificant omne hoc acre, vel ad alcalia quædam; hinc feruntur verſus fiſtulas tabacarias, calcem murariam, arenam, carbones, fæces equinas, quæ ſalem volatilem alcalinum continent; ars nihil me-

melius ageret, imo ſæpiſſime hæc eadem in copia propinat, ut corrigat de induſtria, quod ſpontaneo impetu natura facit. Forte vero objicitur, has virgines ſæpe in acida ferri, quæ tamen maxime nocent, fateor, praxis quotidiana aliquando hoc exhibet, ſed tum in iis ſimul obſervabimus gluten obductum magna copia ipſi ventriculo, qui hinc non concoquit aſſumta, nec ullo modo latera per ſtimulos in contractionem aguntur, niſi aliquid quod fortius ſtimulet ſimul ingeratur, quare ubi hæ aceto valde delectantur, ſemper modo eum in finem id ſeſe facere aſſerunt, ut animam ſentiant, id eſt, ventriculus ſtimulo grato concitetur, & appetitus abolitus reſtauretur; quare natura iterum aliam hic ſuggerit indicationem, cui quoque optime ſatis facit. Si ad rationem requiſiti ſtimuli attendamus in ventriculo, ſin vero ad totius corporis examen nos convertamus, acida, mehercle, noxia ſunt Medicamina, cum eo jam nimis ſcatu8riat corpus; igitur hic conſilio opus erit Medici, an, ubi natura indicationem ſuggeſſit, remediis appetitis indulgendum, an ad humorum acrimoniam, & ſolidorum conſtitutionem quoque attendendum, & hinc dum ab una parte indicationi ſatisfit, ab alia totius corporis habeatur ratio; atque potius ſtimulantibus, aromaticis, alcalicis, aut ſalinis præſtetur, quod natura exigit officium. Hic fateor, artis quidem invocatur auxilium, natura tamen quid arti agendum, & quando opportunitas ipſi detur, antea manifeſtis denotat ſignis.

2. Interiores quoque perſcrutemur vias, & laborat quis ardentiſſima febre, qua omnes ejus liquores alcaleſcunt, putreſcunt, ſitim inexplebilem excitant; hinc ubi modo aquam conſpexerit gelidam, inſanabili amore in eam invehitur, ipſum ad bibendum natura impellente, verum huic, loco aquæ propina jus carnium, cornu cervi, cereviſiam meracam, aquam ſalſam, bibere non poterit, utcunque ſitit, ipſa ſcil. natura prohibet & averſatur hæc. Sed quid in febre ardente melius quam aqua dari poteſt? quid pejus, quam jura carnium, quæ per calorem febrilem & violentum attritum in vaſis, putreſcunt, alcaleſcunt, & liquida animalia acriora reddunt? Nonne igitur hic natura, quæ corpus determinat ad optimam Medicinam, nempe aquam, quæ inſpiſſatos humores diluit, acrimoniam tem-

perat, ſitim extinguit, febrim ſuffocat, anxietatem minuit, multo inquam ſapientior eſt nonnullis Medicis, qui in hiſce febribus ſalia volatilia, jura carnium propinant, ſudores eliciunt, corpus exſiccant, acriora reddunt fluida &c. ut hinc plurimos letho dent, cum ſi naturam ſequerentur, quam Hippocrates ibi in tenuiſſima diæta definienda, optime ſe intellexiſſe probabat, morbos multo felicius curarent.

§. 4. *Ubi quoque vaſa fuerint obſtructa, excitat natura in corpore eos motus, qui deobſtruendo optime conducunt.*

Ante oculos nobis ponamus Hepatitide, aut Peripneumonia laborantem, uterque anxietate magna vexatur, verum Natura ſui ſtudioſa, in his excitat ſuſpiria, manuum, pedumque motus, tuſſim, vomitumque, quorum omnium ope hærens & obſtruens propelli optime poſſit: ſi enim pulmo inflammato & obſtruente ſanguine fuerit affectus, nihil aliud in cura peragi poterit, quam vel propellere, quod obſtruit fluida, vel vaſa dilatare, quantum fieri poteſt, ut tranſeat: utrumque vero in ſuſpiriis & tuſſibus exercetur opus, dum enim ſuſpirat animal, pectus aperit, impletque tanta aëris copia pulmonum veſiculas, ac ingredi poteſt, hinc veſiculæ pulmonum ab invicem per inflammationem compreſſæ, removentur nunc, vaſa intermedia in interſtitiis liberantur a compreſſione, ea, quæ cellulas cingunt pariter, (ultimo inſpirationis faſtigio & tempore tantum excepto) hinc dilatata vaſa occaſionem præbent ſummam, ut quod craſſius, nec per compreſſa tranſire poterat, nunc tranſeat; vel ſi tuſſis ſuperveniat, fiunt alternæ vaſorum relaxationes, & proin internæ dilatationes, tum inſuper propulſiones a tergo, compreſſiones laterales extemplo ſequuntur, quare & hic fit contuſio continua partium craſſiorum hærentium; unde ſi unquam a Medicina quid auxilii ſpectari poſſit, ab his certe concuſſionibus omne expectandum erit; nonne hoc intuitus ſapiens Hippocrates, & ex eo alii Medici, in Peripneumonia & Pleuritide jubent, ut, dum V. S. celebratur ab una parte, æger interim ſuſpiret, tuſſiatque quantum vires ferant, & quidem feliciſſimo cum ſucceſſu, dum o-

inne, quod hærebat, ſic expellitur. Ars itaque iterum dici poterit ſumma, ubi a ſapienti exercetur, qui modo imitatur naturam.

Paradoxon vero, eſt quod in podagricis obſervamus, & ubi luce meridiana clarius convinceretur obſtinatiſſimus, dari in corpore motus automaticos, & Medicinam hos ſui ſecum ferre optimam, ubi enim quis podagrâ per aliquot vices, & quidem continuo increſcente fuerit correptus, atque ægritudo ſtatas ſervavit periodos, ſive ſingulis annis, vel unum intercalando invaſerit, æger vero immunis adhuc videatur tempore ſolitæ invaſionis, ſed alio in viſceribus, aliiſve corporis partibus nobilioribus vexetur cruciatu, alium plane morbum a podagra diverſum ſimulante, Vide elaboratiſſimum opus practic. Excellentiſſimi Præceptoris H. BOERHAVEN hoc in capite, ſi hic advocetur Medicus, qui morbum hunc ut idiopathicum curare geſtit, qui appetitus ſpontaneos non obſervat, certiſſime ægrum occidit; ſolet ſcil. natura materiam podagricam ad alias aliquando dimittere partes, quæ hinc ludit iſtam tragœdiam, ſui vero optime conſervans natura, tum appetitum excitat inſignem, & ægrum compellit ad vini Rhenani largiſſimum hauſtum, ut ſc. per illud podagram veram, excitantiſſimum remedium, cieatur eadem, atque ita determinatio materiæ morbificæ ex viſceribus ad loca conſueta fiat; imo ubi propinatur hoc vinum, deſperatiſſimi plerumque curantur ægri, ſucceſſu nempe felici concomitante audacem appetitum. Hinc ſi non noverit ſatisfacere ignorans Medicus, qui ſibi nimis cautus videtur, quam ut in viſcerum inflammatione vinum ad ebrietatem concedat, ſe ſuumque ægrum miſere decipit, & triumphat ratiocinio, aſt minis humano. Cur vero hoc in caſu appetitus vini cieatur, & non in eorundem viſcerum inflammationibus? hic ſcil. natura remedium hoc eſſe certum cognovit, in aliis inflammationibus toxicum idem eſſe quaſi percipit: fateor, utor ſic vocibus animi facultatibus tantum dedicandis, & viderer ſic cogitationem corpori adſcribere, a qua tamen longiſſime abſum ſententia, ſed ubi verba deficiunt, mihi liceat iis modo uti, quæ proxime veritatem explicant; antea quoque memoravimus, animal ſomno decumbens in unum alterumve latus, poſtquam aliquandiu quie-

tum jacuerit, in medio ſomni ſe convertere tamen, licet hujus motus inſcium ſit; eſt vero hæc converſio corporis ſummi uſus ad ſanitatem conſervandam, conſtat enim cottidiana experientia, ægros, ubi diu quieti in unam decumbent partem, gangræna corripi; quæ enim pars corporis totius, gravitatem ſuſtinere cogitur, vaſa ſua non libere aperta ſervat, per quæ fluida, ut ante, circulum ſuum obeant, ſed nonnulla comprimuntur penitus, interceptum fluidum ſtagnat, & amiſſa liquidiori parte in duram maſſam convertitur, concreſcitque cum vaſis ipſis, quæ hinc amplius fluida tranſmittere nequeunt, unde pars mortuæ inſtar carnis jacet. In ſomno idem fieret, quia in eo corpus, quietiſſimum jacet, cavere autem voluit, quæ movet corpus de latere in latus, ne ſcil. vaſa, quæ compreſſa jam aliquamdiu fuerunt, diutius comprimantur, ſed ut relaxata rurſus fluidum tranſmittant, tota hic profecto Medicina nihil aliud excogitare poteſt, unde prudentes Practici, hoc edocti in ægris debilibus commendant tam ſerio, ut ſæpius corpus de latere in latus convertatur, imo lecto tollatur, ut præcaveatur gangræna.

§. 5. *In Febribus quoque lentis ſola natura remedia edocuit, quæ tutiſſime curant.*

Qui modo intermittentibus vidit vexatos febribus, & curatorum hiſtorias collegit, quam miris ceſſerit remediis, quæ ſolus appetitus invenerat, procul dubio obſtupuit. Hæc enim magno appetitu, & uſu halecis ſalitæ fuit profligata, alia potu generoſo aliquo, alia rurſus aliis ſpecificis. Sæpiſſime vero febres curatæ fuerunt, dum natura vomitus ciebat; pituita enim lenta, crudaque, quæ primas obſidet vias, & febris alimentum exiſtit, ſic expellitur optima, velut ſupra §. 1. vidimus, unde fomite ſublato ipſa eradicatur febris; hinc quoque Medici didicerunt naturam imitari, propinando vomitoria, quod remedii genus apud priſcos Græcos erat frequentiſſimum, & tempore Celſi Romæ in celebratiſſimo uſu: verum & hodie aliud poſſidemus ſpecificum, quod certiſſime febrim intermittentem profligat, quodque natura primo in brutis apparuiſſe dicitur; cortex ſcil. eſt Peruanus, quem animalia, quæ fluida loca frigidiſſime

in

in regno Peru pertranant, & hinc febre corripiuntur, avidiſſime devorant, & illico liberantur; quis vero hoc animalibus detexit, niſi ſolus ille, qui omnia creavit, & quidem animalium corpora cum iis legibus, ut affecta morbo & prope tale remedium poſita, traherentur quaſi in illud idem, quod optime ſanitatem reſtituit, ut poſtea inde homines ediſcerent incommodis ſuis apta auxilia.

§. 6. Ubi vero febres ardentes, vel alii vehementes motus corpus exſiccarunt, motus oboriuntur ad aquam ægros determinantes, quæ ſola huic conditioni remedio eſt.

In febribus ardentibus motus omnium fluidorum per ſua vaſa validiſſimus eſt, uti ex pulſu aliiſque ſignis liquet, hinc ad glandulas frequentior appulſio fluidorum, cauſa fit, ut liquidiſſimum brevi ex ſanguine diſſipetur, ſolumque fere craſſius flocculentum, rubrum remaneat, uti V. S. ſanguis eductus docet, hinc ſolida exareſcunt, ſitis ingens naſcitur, dum deficit ſaliva: in his ægris appetitus eſt ingens ad potum aquoſum gelidum, imo ad integram corporis immerſionem in aquam; novimus enim ex obſervationibus, eos ſæpiſſime proſiliiſſe in aquam, febrim ceſſaſſe, & ægritudinem omnem ſublatam; omne autem aliud liquidum, quod præter aqua propinatur, reſpui ſolet, veluti jus carnium, C. Cervi, cereviſia meraca, aqua ſalſa &c. Conſtat vero experientia, nihil magis, citiuſque humectare poſſe corpora quæcunque, quam aquam, dum quoque rigiditatem fibrarum in flexilitatem convertit, & fluida inſpiſſata diluit, tum inſuper calorem & motum ſanguinis imminuit, idque ſuo frigore, inſulſitate, id eſt diluente temperante vi omnem acrimoniam, facit: quare in his febribus aqua exſiſtit revera optima medicina; ad quam hinc natura ſui conſervans animale propellit corpus, ab aliis vero quæ nocerent, antipathiâ excitatâ abhorrere facit.

Medicantes naturæ itaque motus hic allatos ſufficere confido diſputationis hujus ſcopo, in paucis quidem eos modo annotavi morbis, & quid boni præſtent, in omnibus aliis quid faciant, ſerior ætas, & obſervatio practica edocebit, ad quam hujus diei

ſo-

ſolennitas nunc primum mihi aperit viam, ſpeciminis igitur loco hi pauci tantum memorati credantur.

Ex hiſce tamen omnibus cum invicem comparatis ſatis liquet, quantum Medico attendendum ſit, dum Medicinam facit apud grabatos clinicorum, ad hos motus automaticos, & illis indulgendum fere ſemper, ſi a ſola excitentur natura, & non ab imaginatione, niſi alia corporis ægritudo appetita remedia contra indicaret, vid. §. 3. cap. 2. in hydrope enim ſitis quidem ingens eſt, & aqua appetitur, quæ ubi concederetur veneni inſtar corpori noceret, dum tamen exareſcentibus linguæ papillis, & reliqui corporis ſolidis fibris optime conveniret: ſed melius eſt parvo & curabili morbo partem laborare, quam graviori totum ſuperfundere corpus. In his ſcil. & ſimilibus Medici requiritur conſilium, & ſapientia, unde ut ex §. 3. cap. 2. iterum manifeſtum redditur, quo uſque natura conſervationem ſui obſervat; ſcilicet non tam late, ut toti corpori proſpiciat, verum modo parti affectæ, vel maxime inier alias ærumnas laboranti: noluiſſe ſcil. videtur natura tantum ſibi oneris imponi pro ſalute integra mortalium, ubi tam ſapientem gubernatorem, optime omnium quæ in corpore aguntur conſcium, ratione præditum, individuum comitem habet, qui eo plus ſibi congratulatur, quo inſigniores effectus ex ſuis viribus ſolis, & quo plures continuo conſpicuos reddere valet; ratiocinio igitur & experientiæ ſat operis natura relinquit, ut mens ſuas vires in curandis morbis experiatur, atque intendat. Quare non committendum ægrum volo ſuo appetitui, neque ſemper expectandum in decurſu morbi, donec natura ex ſe excitet motus automaticos; ſed medicandum erit ex arte; ſemper modo animadvertatur, an natura aliquid moliatur ſponte, cui ut miniſter obſecundat Medicus oportet ex Hippocratis ſapientiſſimo monito; quare Doctiſſ. quoque Baglivius monita ſua exorſus, *Medicus naturæ miniſter & interpres, dum quid meditetur vel quid faciat, naturæ niſi obtemperat, nil imperat*; ait; quæ ſi nihil agit, tum quid ars efficax valeat, probandum eſt.

F I N I S.

DIGNIS-

DIGNISSIMO JUVENI

CORNELIO VAN BLEISWIJK,

Medicorum ordini adſcribendo.

Conſummata ſuis reſpondent ultima votis
Gaudia, quæ doctis plauſibus ora movent.
Alternis vicibus Phœbo Themidique probata
Fronde perennanti Muſica palma viret.
Et quater ingeminat fraternos Pallas honores,
BLEISVICIAM*que ſua luſtrat ab æde domum.*
Pulcra domus faſtis, & avitis atria ceris
Nunc ſplendent meritis multiplicata ſuis.
Nunc certant titulis in publica commoda Fratres,
Mutuaque hæc Phœbo pars vacat, illa foro.
Sic quoque ſpem Patriæ cumulant utrimque Nepotes,
Qua dederant clari nomen & omen Avi.

Curia Hagana ſonet facundæ pondere vocis,
Sanctaque ſtet gemino vindice firma Themis.
Nunc quoque Delfenſes in utroque hoc Pæone ab arte
BLEISVICIA *medicas experientur opes.*
Gratulor hos meritis titulos accedere veſtris,
Virtutemque nova cingere fronde comam.
Quaque relecturus fraternæ germina famæ,
CORNELI, *ad laudis culmina docta ſubis:*
Hac tibi contingat meritis ſic eſſe beatum,
(Nec vanam auſpiciis addit Apollo fidem)
Ut te Fama vehat pennis, & dicat, utrimque
Par fratrum pariles ſuſtinuiſſe gradus.

HENR. SNAKENBURG.

CA-

CARISSIMO AMICO

CORNELIO VAN BLEISWYK,

Cum Medicorum Ordini adſcriberetur habita diſputatione de Medicina Automatica.

Incipit hac feſta modulari carmina luce,
  Et dubitat, quæ ſit, Muſa, tenenda via.
Lætitia, & luctus diverſam tendere ſuadent:
  Hic mihi ſe præbet, præbet & illa ducem.
Ante oculos ſpeciem hic offert abeuntis Amici,
  Dum triſtis lacrymæ mœſta per ora cadunt.
Exultat, meritas oſtendens altera laurus,
  Quis, Bleisvice, tuas cinxit Apollo comas.
Sed quid ego infauſtis turbarem gaudia verbis?
  Non ea ſunt feſto commoda verba die.
Ad patrias ibis ſine me Cariſſime ſedes?
  Attamen hæc non eſt terra negata mihi.
Optima ſpes hæc eſt, veſtro quæ reſtat amico,
  Molliaque indigno Corda dolore levat.
Ergo age! gratantis læto cum carmine linguæ
  Occurras Juveni candida Muſa meo.
Area lata patet: doctum laudare libellum,
  Ingenii dotem judiciique, potes.

Hic docet inſtinctum Naturam cuique dediſſe,
Quo Medici partes neſcius ipſe ſubit.
Vitat enim, ſentit quodcunque adferre dolorem;
Sponte ſua ſequitur, quæ meliora putat.
Sic hominem Natura ſuum curavit, & Arti
Præcipuam pandit Provida Diva viam.
Pandit, & Ars noto Naturæ munere pollens,
Præſentem miſeris ferre ſpopondit opem.
Sic bene conjunctis nunc ſervant viribus ægros,
Altera, vix unâ deficiente, juvat.
Afflictis igitur tibi ſit ſuccurrere cura,
Auxilioque velis ſemper adeſſe tuo,
Corneli! ſic ampla manet te Fama laboris:
Et quam ſanaſti te pia turba colet.
Hoc ſpondent ſtudii documenta noviſſima veſtri,
Hoc ſpondent Fratris nomina clara tui.
Fratris Apollinea longè præſtantis in arte,
Quemque ſequi monſtrant te tua ſcripta ducem:
Et, ſi non fallunt Juvenis præſagia vatis;
Non erit Illius gloria veſtra minor.

Virtute Decet
Non
Sanguine Niti.

DAVID van ROYEN.